


NON INFERIORA.

1/2

QUAESTIONES HOMERICAE

SCRIPSIT

JULIUS FRANCISCUS LAUER

DR. PHIL. AA. LL. M.

QUAESTIO PRIMA

DE UNDECIMI ODYSSEAE LIBRI FORMA GERMANA ET PATRIA.

BEROLINI

APUD GUILELMUM BESSER.

1843.



VIRIS

DOCTISSIMIS ILLUSTRISSIMIS

AUGUSTO BOECKHIO

CAROLO LACHMANNO

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

S.



PROOEMIUM.

Si quis accurate vult de interpolationibus judicare, quas in Homeri carminibus inesse constat: is subtile rationibusque confirmatum de horum carminum origine judicium sibi comparaverit necesse est. Nam cum permulta et in Iliade et in Odyssea inveniantur, quae aut cum rebus alibi commemoratis discrepent, aut alium quendam colorem, vigorem verborumque usum prae se ferant: apparet haec omnia interpreti aliquid offensionis praebere, quae non semper ita tollatur, ut sive versus aliquos, sive magnam carminis partem interpolata esse censeamus. Quod cuique, qui diligenter haec carmina pervestigavit, notum est neque demonstratione indiget. [1]) Id tamen unum hoc loco moneatur, multa inesse in Odysseae prima et postrema parte, quae rebus inde a libro quinto usque ad duodecimum narratis non solum non congruant, sed etiam contraria videantur. Itaque quia haec et verborum et sententiarum et rerum diversitas inde explicari nequit, ut Homeri carmina interpolata habeamus, neque quidquam satis certi ac probati de Homero refertur, sed plurimae de hujus poetae et patria et aetate opiniones, quarum unaquaeque magni alicujus viri auctoritatem sequitur, exstant: nihil fere nobis est reliquum, nisi ut in F. A. Wolfii, viri de his studiis optime meriti, senten-

[1]) cf. libros not. 9 laud.

tiam discedamus, cum inveterata illa de Homero opinio, qua hic totius Iliadis Odysseaeque auctor perhibetur, neque diversitatem illam, quam dixi, tollat neque ipsa satis explorata constare videatur.

Nihilominus hanc, quae est antiquitatis, opinionem nostris temporibus defendere imprimis conatus est Nitzschius, qui, ut de Iliade taceam, Odysseae libros viginti quattuor communi quodam vinculo contineri et in ipsa origine ita institutos ac formatos esse arbitratur, ut libri priores posteriores requirant, neque posteriores esse possint nisi prioribus antegressis [2]). Praecipue vero hoc inde studet demonstrare, quod Odysseam ita quattuor partibus constitutam esse dicit, ut primâ Ulixes a domo et uxore absens, secundâ Ulixes domum revertens, tertiâ Ulixes de ultione cogitans, quartâ denique Ulixes poenas a procis repetens et in quietam uxoris regnique possessionem restitutus celebretur [3]).

At haec viri doctissimi sententia de Odysseae, quo singuli libri contineantur, vinculo, nihil aliud est nisi filum, ut ita dicam, narrationis historiaeve a poeta traditae, neque vero nervus et anima hujus poematis, quo aliqua animi humani condicio sive affectus aliqui sub imagine hominis cujusdam fingitur et proponitur. Historia enim, quae carmine aliquo enarratur, una esse potest et tota secum consentiens, neque tamen poema artificium est et opus, quo aut audiendo aut legendo hominum animi non vulgari modo delectentur. Quod ut efficiatur, cogitationem inesse aliquam in carmine opus est, quae omnium pari modo intersit et qua animi nostri sub specie delectationis compleantur. Hoc igitur si quaeremus in Ulixis fabula longe aliud inveniemus, quam quod a Nitzschio prolatum est. Explicuit enim argumentum ἐξωτερικὸν non ἐσωτερικόν, ita ut hac singularum Odys-

[2]) Anmerk. zur Odyssee. Vol. II. p. XXXIII.

[3]) l. l. p. XXXIV. et ante in Ersch. et Gruber. Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste. s. v. Odyssee.

seae partium cohaerentia meo quidem judicio uti non possit, ut Odysseam qualem nunc habemus ab uno eodemque auctore totam esse factam evincat [4]).

Jam vero cum Nitzschii de Odyssea sententiam etiam alias ob causas sequi non possim, praesertim cum permulta in hoc carmine inveniantur, quibus cogar, ut duas fabulas singulaque earum poemata in illo conjuncta esse arbitrer: in Wolfii partes abeo, qui ex diversis carminibus inter se conjunctis Iliadem Odysseamque prognatas existimat, quamquam ab ejus quoque sententia paullulum recedam.

Historia enim poesis Germaniae et Scandinaviae, cujus adhuc miro modo fere nulla his in studiis habita est ratio, plane docet, qui fieri possit, ut carmina vel maxima componantur ab ipso populo. Ut vero unde orta sit fabula aliqua plerumque nescimus, ita apud omnes populos, quibus sensus aliqui pulchritudinis est, poemata invenimus, quorum auctor nominari nemo potest. Exemplum autem habemus luculentissimum, carmen dico illud de Nibelungis, quod e singulis quibusdam populi carminibus circa annum MCCX in id, quod nunc habet, corpus redactum esse inter omnes constat, qui in his studiis sunt versati [5]). Quae quidem carmina popularia tanta arte tantaque pulchritudine composita sunt, ut cum Homericis illis summo jure possint comparari. Itaque Homeri quoque carmina simili modo [6]) ab

---

[4]) cf. G. Hermann. de interpolat. Homeri. Lips. 1832. p. 4 sqq. B. Thiersch. Ueber das Vaterland und Zeitalter des Homer. ed. II. Halberstad. 1832. 8. p. 9 sqq.

[5]) Lachmann. Zu den Nibelungen. Berlin 1836. p. 1 sqq. cf. W. Grimm. deutsche Heldensage. Götting. 1829. p. 373 sqq. Talvj Charakteristik der Volkslieder. Leipz. 1840. p. 359 sqq.

[6]) Quare permagna salus potest et immensum studiis Homericis adjumentum existere e carminis epici in Germania et Scandinavia historia, cujus etiam primordia possimus tam bene contemplari, nulla ut alia ex re major fructus percipiatur.

ipso populo facta et profecta, [7]) a rhapsodis recitata, multos annos memoria tantum comprehensa esse arbitror, donec Pisistrati cura litteris mandarentur et in unum corpus colligerentur [8]).

Qua in re auctores sequor et patronos Carolum Lachmannum et Godofredum Hermannum, viros clarissimos, qui Iliadem multis carminibus constare argumentis ostenderunt, [9]) quibus quid opponi possit equidem nesciam. Itaque cum supersedere possim longa argumentorum enumeratione, quibus ductus hanc sententiam amplexus sim, duo sola proferam argumenta, quae ad eam confirmandam haud paulum conferunt.

In Iliadis enim libro secundo locus aliqui inest, qui etsi propter pulchritudinem ab omnibus fere interpretibus eximie praedicabatur, tamen nos accurate considerantes vehementer offendat:

ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
οὔρεος ἐν κορυφῆς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή·
ὣς τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο
αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκεν.
  τῶν δ', ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα

---

[7]) „Che perciò i popoli greci cotanto contesero della di lui (Omero) patria, e' l vollero quasi tutti lor cittadino; perchè essi popoli greci furono quest' Omero." G. Vico principi di scienz. nuov. Napoli 1811. Vol. III. p. 33. cf. excellentem hac de re expositionem viri docti Dugas-Montbel. histoire des poésies Homériques. Paris 1831. p. 26 seqq.

[8]) cf. Wolf. Prolegg. p. CXLII sqq. Dugas-Montbel. l. l. p. 6 sqq. Fr. Ritschl, die Alexandrinische Bibliothek etc. Breslau 1838. 8. ejusd. corollarium disputationis de bibl. Alexdr. Bonn 1840. 4.

[9]) Lachmann, „Ueber die Ilias" in: Abhandl. der Academ. d. W. zu Berlin aus d. Jahren 1837 et 1841. — G. Hermann. de interpolationibus Homeri. Lipsiae 1832. 4. de iteratis apud Homerum. ibid. 1840. 4.

ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών·
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον· αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν
σμερδαλέον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.
ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι,
μυρίοι, ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.
ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά,
αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν
ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει·
τόσσοι ἐπὶ Τρώεσσι καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
ἐν πεδίῳ ἵσταντο, διαῤῥαῖσαι μεμαῶτες.
τοὺς δ', ὥστ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες
ῥεῖα διακρίνωσιν, ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν·
ὣς τοὺς ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα,
ὑσμίνηνδ' ἰέναι· μετὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων,
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων,
ταῦρος· ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσιν·
τοῖον ἄρ' Ἀτρεΐδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ,
ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν.

Quis est enim, qui hanc imaginum coacervationem non miretur? quis, qui non videat, eam non aliter bene comprehendi, quam si ex diversis hunc locum carminibus ortum existimemus? Nam cum Homerica carmina variis Graeciae locis et a multis recitarentur, Graecos ad proelium exeuntes variis carminibus celebratos et cum iis rebus, quae singulis poetis aptissimae viderentur, comparatos fuisse verisimile est. Cum vero Pisistrati temporibus, fortasse propter minorem, qua e recitando capiebatur, delectationem rhapsodorumque pravitatem, haec popularia carmina, quae et e memoria sensim elabi et in malam partem converti inciperent, a Pisistrato colligerentur: ex variis Graeciae et Asiae locis rhapsodos probabile est Athenas convenisse, qui ad

poemata Homerica in unum corpus redigenda studium aliquod et doctrinam adhiberent. Qua in re conficienda si quis rhapsodus comparationem a vulgari diversam proferret, qui singula carmina componebant sensu quodam pulchritudinis et religione commoti diversas illas comparationes eo, quo nostro loco factum est, modo conjunxisse videntur.

Alter locus, de quo disseram, initio Odysseae invenitur atque magnam et justam nobis mirationem movet. Nam quod jam alii viri docti perspexerunt,[10]) exitus concilii a diis de Ulixis reditu habiti et Minervae iter in Ithacam susceptum, tantum abest, ut cum exspectatione nostra consentiant, ut plane huic sint contraria. Etenim quamquam Minervae preces, quae Jovem ceterosque deos commovebant, ut Ulixis recordarentur eique felicem in patriam reditum parandi consilium caperent, ita sunt institutae, ut auxilium subito ac statim praestandum requirant: tamen Jovem, qui liberalitate quadam Ulixem contra Neptuni iram se tuiturum esse filiae promiserat, tam quietum videmus atque inertem, ut ejus quod promiserat pene oblitus videatur. Neque tamen causa esse ulla potuit, quae eum, quominus Mercurium ad Calypsonem mitteret, impediverit. Nam metus, ne auxilium Ulixi oblatum Neptunus aegre ferret, tum cum Mercurius re vera in Ogygiam insulam proficiscebatur, minor esse nequibat, quam primum Minerva adstimulante. Sed nullum Jovi metum fuisse verba patefaciunt:

[10]) v. c. Paolo Beni (Comparazione di Hom. Virg. e Torquato. Padova. 1607. 4.) P. Rapin (observations sur le poëmes d'Hom. et de Virg. Paris 1669. 12. lat. Ultraj. 1684. 12. p. 36 sqq. 44. 49.) — Koes (de discrepantiis quibusdam in Od. occurentibus. Hafniae 1806. 8. p. 18 sqq.) — Spohn (de extrema Od. parte. Lips. 1816. 8. p. 97 not. 6.) — Kayser (de diversa Homericorum carminum origine. Heidelberg 1835. 8. p. 11. — Repugnantiam quae in nostro loco inest neque G. Lange (disquisitiones Homericae. P. I. Argentorat. 1828. 4. p. 12 sqq.) tollit, neque O. Mueller histor. litt. Gr. Vratislav 1841. 8. Tom. I. p. 101, neque Nitzschius l. l.

ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς οἵδε περιφραζώμεθα πάντες
νόστον, ὅπως ἔλθῃσι· Ποσειδάων δὲ μεθήσει
ὃν χόλον· οὐ μὲν γάρ τι δυνήσεται ἀντία πάντων
ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν ἐριδαινέμεν οἶος. Od. I, 76 sqq.

Et quae verba antecedunt:

τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;
πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην,
ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν
ἀθανάτοισιν ἔδωκε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
v. 64 sqq.

ea tantam produnt Ulixem adjuvandi facilitatem, ut poeta, si voluit haec eo, quo fiunt, modo fieri, causam aliquam probabilem afferre, neque in sola Jovis negligentia ac pigritia auxilii ponere dilationem debuerit.

Minerva quoque parum sibi constat iter illud in Ithacam suscipiens. Nonne enim verbis, quibus patrem allocuta est, imprimis vero his:

Ἑρμείαν μὲν ἔπειτα διάκτορον Ἀργειφόντην
νῆσον ἐς Ὠγυγίην ὀτρύνομεν, ὄφρα τάχιστα
Νύμφῃ ἐϋπλοκάμῳ εἴπῃ νημερτέα βουλήν,
νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος, ὥς κε νέηται.
v. 84 sqq.

tam flagrantem Ulixis curam ostendit, ut nihil illam habere antiquius existimes, nisi ut nuntium ad nympham mittat. Nihil tamen hanc missionem curat, sed ad Telemachum proficiscitur eumque ad iter illud excitat, quod voluptatis magis quam necessitatis causa susceptum videtur. Itaque idem rerum status initio libri quinti recurrit, quem facere non possum, quin eodem modo, quo antea illam comparationum copiam, formatum esse ducam [11]). Fortasse libri primi versus octogesimus septimus ita cum libri quinti versu vigesimo octavo connectendus est, ut vv. 82—87 Jovi tribuantur,

[11]) cf. G. Muelleri homer. Vorschule. ed. II. Lips. 1836. p. 108 sq.

qui jam unus loquatur vv. 63—87, et v. 80 sq. et V, 1—27 interpositi habeantur [12]).

Atque haec quidem mea de Homericorum carminum origine opinio est. Reliquum est, ut paucis quid de interpolationibus judicem exponam.

Tria autem interpolationum in Homero sunt genera, quorum primum in iis versibus versatur, qui licet prorsus sibi repugnent tamen, cum differentia ipsam narrationis naturam propius, quam cui versibus ex Homero ejiciendis mederi possimus, attingat, alio modo inter se conciliari nequeunt, quam si versus illos ad diversa carmina pertinere arbitramur, quae separatim facta aut a rhapsodis aut ab iis, qui singula Homerica carmina colligebant, ad unum aliquod poema efficiendum inter se conjungebantur. Tales potissimum interpolationes Lachmannus et Hermannus perscrutati sunt. Quas apparet Iliade Odysseaque in singula carmina dividendis sublatum iri [13]).

Secundum genus est versuum eorum, qui tum demum oriebantur, cum et carmina condendi et fabulas fingendi facultas vehementer esset debilitata. His enim temporibus rhapsodi, qui jam poetarum munere fungebantur, versus componebant et genuinis intersercbant tales, quales si accurate perspexeris ferri non posse intelliges. Maxime vero hoc ita factum est, ut rhapsodi, qui nullam haberent rationem causae, cur fabula hoc et non alio modo formata esset, cur poeta hoc enarrasset, illud praeterisset, id, quod Homerus non nisi brevibus verbis dixisset strictimque attigisset, uberius ac fusius enarrarent [14]).

[12]) Tale quid jam Kaysero l. l. p. 11 in mentem venisse video. — Quod vocabulum μὲν (I. 84) nullum δὲ sequitur, id saepius apud Homerum fieri constat. cf. Od. I, 78. Il. V, 901. VII, 357. De toto loco alibi fusius disseram.

[13]) cf. Cap. IV.

[14]) cf. Heyn. Il. Tom. VII. p. 487. Huc pertinet locus de Elpenore. cf. infra.

Tertium interpolandi genus id est, quo sive a rhapsodis sive ab aliis singuli versus adjiciebantur, qui quamvis carminis rationem et naturam non offendant, tamen varias ob causas non apte sunt genuinis agglutinati [15]).

Quamquam quae adhuc de Homericorum carminum origine et forma disputavi, ea certo aliquo exemplo, quod propositurus sum, multo etiam luculentius apparebunt. Quod quidem exemplum, cum Iliadem variis carminibus constare viri docti sat demonstrarint, ex Odyssea sumpsi. Ex omnibus autem Odysseae libris nullus est, qui tantopere sit interpolationibus foedatus, quantopere liber undecimus. Neque vero hoc mirum. Etenim si quis accuratius libri hujus naturam et compositionem reputarit, statim animadvertet, fere nullum posse inveniri, qui tantam ad interpolandum ansam praebuerit [16]). Nam quae in illo libro inest feminarum et virorum enumeratio quamquam aliqua saltem ex parte a primo Νεκυίας conditore profecta videtur, facile tamen apparet tum non totum catalogum genuinum esse, tum quomodo fieri potuerit, ut alia et virorum et feminarum nomina germanis subjungerentur. Quod quidem cum aliis rationibus potest evinci, tum inde comprehenditur, quod Homerica carmina decantata esse et per totam Graeciam recitata nobis traditum est. Nam cum rhapsodi omne studium in eo maxime ponerent, ut populo placerent, eos ad populi delectationem carmina accommodasse verisimile est. Quod maxime ita ab iis instituebatur, ut loci cujusvis, quocunque recitabant, et heroum et feminarum nobilium nomina carminibus immiscentes illorum laudem praedicarent [17]).

---

[15]) v. c. Od. XI, 157—159; 321—325; 328—384; 565—600; 602—604. al. al. cf. infra.

[16]) Guil. Mueller. Homer. Vorsch. p. 79.

[17]) Confer infra Cap. III. O. Muelleri Aeginetica. Berolin 1817. p. 24 sq. Litterat. Gesch. Tom. I. p. 94. not. 5. p. 95. not. 1. O. Gruppe Ueber die Theogonie des Hesiod. Berl. 1841. p. 34 sqq. p. 120.

Quamquam non solum catalogus ille interpolationibus est amplificatus, verum etiam alii Νεκυίας loci exstant, qui aut rhapsodis aut aliis, neutiquam vero primo illius libri conditori tribuendi videantur. Quare nescio an nulla possit inveniri materia, quae tractetur, dignior et ad id quod mihi proposui demonstrandum aptior. Disseram igitur de libri Odysseae undecimi versibus suppositiis, quibus examinatis illum librum singulare aliquando carmen constituisse demonstrabo; pauca denique de hujus carminis patria proferam.

Cap. I.

DE ELPENORE NARRATIO EXAMINATUR (v. 51-83).

Ἐλπῆνορ, πῶς ἦλθες ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα;
v. 57.

---

§. 1.

Fabula, quae de Ulixis erroribus composita est, id mihi spectare videtur, ut imaginem praebeat hominis, qui multa variaque pericula, quae ei, quominus finem appetitum consequatur, objiciantur, omnium et animi et corporis virium contentione aut vitare aut propulsare conetur. Sive enim fabula illa desiderium patriae sive humani ingenii calliditatem et fortitudinem sive hominis erga uxorem filiumque amorem sive aliam quandam virtutem celebrari existimamus: id facile intelligitur, pericula illa eo Ulixi consilio opposita esse, ut eum aut vi supprimere ac perdere aut, ut patriae, Penelopae, reditus obliviscatur,[17a]) voluptatibus irretire studeant. Itaque ad prius periculorum genus ea referenda sunt mala, quae Ulixes apud Cicones, Laestrygones, Polyphemum interque Scyllam et Charybdin subit; posterioris autem generis sollicitationes sunt eae, quae a Lotophagis, Circa, Sire-

---

[17a]) cf. IX, 94 sqq. X, 236. IX, 29 sqq.

nibus, Calypsone et Nausicaa Phaeacibusque imminent. Jam vero cum maxime animus noster iis rebus permoveatur, quae venustatis aliquam et divinitatis speciem prae se ferant cumque maxima nobis ut iis resistamus opus sit vi animique constantia: Ulixem, periculis vi eum impugnantibus superatis, antequam sollicitationes illas captiosas atque illecebras sub exitu errorum collocatas subiret, ad inferos descendentem poeta facit, ut ab omni heros infirmitate liberetur, et hoc opere ex Herculis sententia [18]) maximo absoluto contra omnia quae sequantur pericula firmissimus evadat, neve omnem in patriam, ad quam frustra tam diu appellere conatus sit, redeundi spem abjiciat [19]).

Totus enim Orci habitus cum tristis videretur, et a quo fugeretur dignissimus, cumque in hanc regionem Ulixem venire necesse esset, nisi omnium virium contentione contra ea pericula dimicaturus esset, quae huc eum ferre intenderent; facile est intellectu hanc certam minimeque jucundam spem Ulixis vires animique constantiam vehementer firmasse ac roborasse.

Idem quod Orcus efficiunt feminae, quae infirmae, atque ad inferos profectae Ulixi suadeant, ut semper fortis neve unquam virtutis et pugnandi immemor sit. Neque vero in sola fortitudine salutem positam esse, Achilles, Agamemnon, Ajax, alii ostendunt, qui quamvis fortes essent et maxime omnium corporis viribus excellerent, tamen morti succumbebant, quia prudentia animique versutia carebant.

Sed cum haec sit natura feminarum virorumque si uno eos aspectu contemplamur, restat, ut quid sibi velit unus-

---

[18]) Od. XI, 623 sq.

[19]) Omnino igitur Ulixes in Orcum descendit, ut id quod ad reditum opus esset sive consilium sive spem sive metum sive animi firmitatem inde auferret. Quod si quis poetice exprimere vult, ita debet describere, ut factum est: Ulixem in orcum descendisse, ut de reditu aliquem (h. l. Tiresiam) consuleret.

quisque eorum, quibuscum colloquatur Ulixes, breviter exponamus. Qua quidem in re singulorum sermonum naturam eandem esse videbimus, quam antea totius Orci, eorumque qui ibi commorarentur, intelleximus.

Tiresias enim Ulixem hortatur, ne Solis boves in insula Thrinacia violet. A quibus si et ipse abstinuisset, et socios revocasset, fore ut non solum in patriam redeat, sed etiam uxore divitiisque recuperatis longam et beatam vitam degat. Neque mehercle haec exspectatio parvi potest momenti ad Ulixis animum vel erigendum vel firmandum haberi.

Cum matre quae Ulixes colloquitur propterea ad eum corroborandum faciunt, quod uxoris fidem immutabilem cognoscens, et filii quem infantem relinquebat reminiscens magno patriae desiderio capi et ad ea libenter suscipienda excitari debebat, quae, ut finem propositum consequeretur, ei erant subeunda.

Eodem autem modo intelligenda sunt verba Agamemnonis, qui Penelopen cum Clytaemnestra comparans efficit, ut illius feminae praestantia luculentissime appareat. Temporis quoque spatium ab Agamemnone commemoratum, quod inter Telemachum intercedit modo natum et virorum numero adsedentem, hic locum habet, quod uxorem, quae fidem firmissimam tam diu servarit, praestantissimam reddat.

Quae vero postea Achilles dicit, ea Orcum ostendunt tristissimum atque prorsus indignum, qui cum miserrima vitae condicione, ne ipsa servitute quidem mutetur. Ex quibus Achillis verbis colligi potest, quanta rerum commutatio facta sit, cum is, qui sub Trojae muris summo Graecorum omnium duci, cujus a Jove imperium erat, cedere prorsus nolebat, in Orco longe alium, et quidem eum ostendat animum, ut non modo regis alicujus verum etiam infimi pauperrimique viri servum esse majus aliquid et jucundius habeat, quam in idola mortuorum omnia dominari. Dein quod Agamemnon de Oreste et Achilles de Neoptolemo

filio percontabantur, id magno Ulixem Telemachi visendi desiderio afficere necesse erat.

Neque aliter, quam illa Achillis verba, ea interpretanda sunt, quae de Ajace narrantur, qui cum implacabilis et magna contra Ulixem invidia sit, hunc movet, ut omnibus viribus contendat, ne eum in locum propediem veniat, quo sibi una cum viro inimicissimo sit versandum.

Hercules denique, quasi prior Ulixes [20]), difficillimum laborum omnium, quos in vita suscepisset, eum fuisse dicit, quo sibi ut Cerberum ex Orco ferret demandatum fuisset. Jam vero Ulixes cum in eo esset, ut laborem ex Herculis sententia gravissimum perpetraret: magnam laetitiam et fiduciam inde percepit. Itaque factum est, ut, quoniam quae sequebantur pericula minora erant, et desiderium patriae maximum et animus contra omnes sollicitationes firmissimus ex hoc Ulixis in Orcum itinere emanarent.

Et haec quidem est libri nostri natura et compositio, quacum quam parum Elpenoris commemoratio conveniat, facile intelligitur. Quae, cum nihil in ea insit, quod ad reliquae Νεκυίας rationem possit referri [21]), jure a nobis in dubitationem vocata, et ab homine assuta videtur, qui narrationis genuinae vim ne minime quidem perspiceret. An quisquam est, qui mecum dissentiat? Nemo profecto, nisi quis Klausenii sententiam amplectitur, qui Ulixem socii idolo certiorem fieri, se apud inferos invenire atque videre eos, quos in vita reliquisset, opinatur [22]). Quod tantum abest, ut probem, ut idem ex matre, Achille, Agamemnone com-

---

[20]) Schol. Q. ad v. 619: συνίστησιν ἑαυτὸν ['Οδυσσ.] τοῖς Φαίαξιν ἐνδεικνύμενος ὅτι τὰ ὅμοια Ἡρακλεῖ ὑπέστη εἰς Ἅιδου καταβάς. cf. Eustath. p. 1703, 35 et 55. Senec. de constantia. cp. 2. cf. infra not. 80.

[21]) Eadem est causa, quae v. 565-600 et v. 631 interpolatos esse demonstrat. Quae res haud parvum nostrae de Νεκυίας natura disputationi videtur adjumentum afferre.

[22]) Die Abenteuer d. Odysseus aus Hesiod erklärt. Bonn 1834. p.43.

perire, omnino suis ipsius oculis Ulixem cernere potuisse arbitrer.

Sed alia eaque graviora contra istam de Elpenore narrationem argumenta narratio illa ipsa nobis suppeditat.

§. 2.

Cum proficisceretur Ulixes ad inferos eam potissimum ob causam, ut e Tiresia reditum percontaretur [23]): nescio an non Elpenoris cum Ulixe colloquium hunc itineris finem satis apte retardet. Neque vero licet poetae omnia, quae dici possunt, dicere, sed alia sunt commemoranda, alia, quibus minus oblectamur, reticenda. Quare Elpenoris quoque preces omnino non commemorandas fuisse censeo, qui ab Homero ipso dicatur X, 552 sq.:

νεώτατος οὐδέ τι λίην
ἄλκιμος ἐν πολέμῳ οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς.

Huc accedit, quod versus illi ita possunt praetermitti, ut ne minima quidem intercapedo fiat. Neque profecto qui accuratius illos versus consideraverit, ipsorum patrocinium suscipiet, cum ita sint formati, ut Homeri ingenio prorsus indigni videantur.

Versus enim quinquagesimus et qui eum sequitur causam afferunt, cur insepultus Elpenor relictus fuerit. Sciebat ergo Ulixes Elpenorem perisse, et sine dubio eum sepulturus erat, nisi tempus defuisset. Nam res, quas Circe demandaverat, Ulixi tam graves tamque magni momenti videbantur, ut ad eas perficiendas properaret neque mortem socii humilis atque exigui causam haberet satis dignam, qua commotus iter in Orcum differret. Quomodo autem haec cum sequentibus verbis conveniunt, quibus Ulixes ex Elpenore quaerit, quo factum sit, ut advenerit? Sed dicat aliquis Ulixem Elpenoris mortem propter multa et gravia negotia non

---

[23]) cf. v. 32. 50. 89. 164 sq.

animadvertisse [24]). Atqui quomodo verba κατελείπομεν ἡμεῖς iste explicabit (v. 53.)? Nonne Ulixes ducem sese levem ac negligentem praebuisset, si, utrum unus ex sociis adesset necne, non observasset? At summopere eorum saluti toto itinere consulebat! Num hic alium Ulixem esse opinaris? Ergo Ulixem Elpenoris mortem non animadvertisse nullo modo statuendum est.

Quapropter Ulixem non quaerere quo factum sit, ut comes mortuus sit, sed qui, ut nave etiam celerius advenerit, arbitrabimur. Quae quidem interpretatio non probabiliorem reddet sententiam. Facile enim, quod illa Ulixis interrogatio responsum desideret, comprehenditur. Dicere enim Elpenor debebat, animam a corpore disjunctam tanta uti velocitate, ut nave etiam celerius ire possit. At quid dicit homo ineptus? Nempe se vino obcaecatum de tecto delapsum esse et collum fregisse! Ex quo responso Elpenorem Ulixis verba sic intellexisse apparet, ut, quomodo ad inferos venerit h. e. utrum et quo casu mortuus sit, hunc quaerere putet. Sed, quominus ita accipiatur interrogatio, obstat versus quinquagesimus octavus, qui versum antecedentem explicat, et sententiae ita intellectae perversitas, quoniam socium mortuum esse Ulixes sciebat.

Quocunque vero modo illum locum explicaverimus, erit semper in eo aliquid, quod nos offendat, et ne tum quidem tollatur, cum versum quinquagesimum octavum subditiltium judicaverimus [25]). Quod quominus facias, haec obstare videntur. Quanta enim inter versus 154 sq. et nostros similitudo intercedat cum consideraveris, alterum locum ad alterius formam quasi coagmentatum esse negare non poteris. Quid est enim nobis reliquum, nisi ut Ulixis verba, quo-

[24]) Quod contendit Nitzsch. Anmerk. z. Od. Vol. III. p. 200.

[25]) Cum Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 201. — Callistratus (ap. Schol. Q. ad v. 52) versum 52 ejiciendum censet. At ne sic quidem oratio aptius procedit.

niam ea, quae sunt matris, deleri nequeunt, e pravo imitandi studio orta esse existimemus?

Jam ad ea nos convertamus, quae in sequentibus versibus contra communem Homeri usum dicta videantur. Neque vero appositionem οὐ παρεόντων (v. 66) dico, quae, verba τῶν ὄπιθεν explicans, mirifice languet; neque singularem verborum ἓν μοῦνον ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπες (v. 68) usum, quae num possint significare: quem unicum filium reliquisti, filii notione non antegressa[26]), valde dubito; neque praepositionem ante τῶν ὄπιθεν (v. 66) omissam[27]): sententiam dico versus septuagesimi tertii:

μή μ' ἄκλαυστον, ἄθαπτον, ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν
νοσφισθείς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι[28]).

quam unicam apud Homerum esse arbitror, qua dii, quod mortuorum corpora non sepeliverit, alicui irasci dicantur. Quae ira, quamquam causa ejus aliqua potest excogitari, Homero non est nota, neque unquam nisi hoc loco commemoratur. Nam ubicunque de his rebus verba fiunt, aliquem insepultum relictum esse dii ne minime quidem curant. Quod si fuisset, grave sane tulissent, quod Achilles tot dedisset Trojanos avibus canibusque devorandos. Est enim a nostro loco longe diversa ejus natura, quem nobis aliquis objecerit ex Il. XXII, 358 sqq.:

φράζεο νῦν, μή τοι τι θεῶν μήνιμα γένωμαι
ἤματι τῷ, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν.

Hoc enim loco deorum ira non inde derivatur, quod Achilles noluerit Hectorem sepelire, sed quod virum diis carissimum interfecerit, et indigna ejus corpus injuria se

---

[26]) cf. Od. XVI, 118 sqq.

[27]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. I. p. 77.

[28]) cf. Il. XXII, 358. unde versus nostri sine dubio orti sunt. cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 201 sqq.

affecturum esse promiserit. Dein quis neget magnum aliquod discrimen intercedere inter Hectorem et Elpenorem? Ille enim vir fuit Trojanorum omnium fortissimus, hic homo timidus et angusti animi; ille filius regis, hic obscuro loco natus; ille diis carissimus, hic homo perexiguus, quem insepultum dii sine dubio neglexissent.

Neque silentio praetereunda sunt verba:

οἶδα γάρ, ὡς ἐνθένδε κιὼν δόμου ἐξ Ἀΐδαο
νῆσον ἐς Αἰαίην σχήσεις εὐεργέα νῆα. v. 69 sq.

Nam cum Circa iter illud ad inferos et ad se reditum cum Ulixe solo communicasset, Ulixes vero, quae ex dea audiverat, tum demum sociis patefaceret, cum ad navem conscendendam proficiscerentur: nescio unde Elpenor, qui priusquam comites horribile Circae mandatum comperissent, mortuus erat, Ulixem ad Circam rediturum esse sciat. Eustathius quidem Elpenorem μαντικῶς loqui existimat [29]; sed neque huic possum consentire, neque Nitzschio, qui „οἶδα, inquit, hat öfters den Sinn einer zwar starken, aber immer nur subjectiven Überzeugung, eines festen Glaubens." [30]) Nam qui tres ab eo afferuntur loci ad sententiam suam comprobandam, ii longe aliter sese habent. Opinioni enim eorum, qui illis locis verbum οἶδα adhibent, justae accedunt causae, quibus, ut pro ipsa veritate opinionem haberent, commoveri poterant. Eurylochus, qui domum Circae aggressus ipse amicos in sues commutatos vidisset, sibi et Ulixi omnibusque, qui ad deam illam venirent, eandem quam sociis mutatis sortem esse accessuram jure existimabat (Od. X, 266 sqq.). Eumaeus, quo coram Ulixes quaedam de se ipso erat fabulatus, dominum rediturum esse jure negabat, quod decem post Trojam captam annos nihil de eo unquam audivisset, et unius cujusque de eo narrationis fidem et tem-

[29]) p. 1672 s. f. ed. Rom.

[30]) l. l. Vol. III. p. 201.

pus et ipse orationis habitus sustulisset (Od. XIV, 363 sqq.). Agamemnon denique summo jure dicere poterat (Il. IV, 163 sqq.) se scire, fore ut Troja interiret, quippe quod Paris et Trojani nefarium adjuvantes jura a diis sancita foedissime laesissent. Tantum vero abest, ut causa inveniatur, qua commotus aliquam Elpenor de Ulixis ad Circam reditu existimationem habere potuerit, ut Ulixem Circae insula praeternavigata quam brevissima via patriam esse petiturum verisimile videri debuerit.

Dein quid dicam, quod Elpenor petit ab Ulixe, ut sibi tumulum ponat, et, quod vivus eum sociis remigarit, remum in eo collocet? Num mos erat Graecorum cuiquam vel infimo viro tumulum ponendi? Quod petitum altero etiam superatur, quod tam ridiculum est atque ineptum, ut rhapsodum magis quam Homerum sapiat [11]).

His vero ab Elpenore dictis quale responsum probabile est Ulixem dedisse? Longe aliud profecto atque id, quod versu octogesimo continetur. Dicit enim brevius et nimis abrupte:

ταῦτά τοι, ὦ δύστηνε, τελευτήσω τε καὶ ἔρξω.

Quod ideo ab Ulixe factum videtur, ut quam celerrime inutilem illum hominem dimittat. Sed clarum est, eum, qui hos versus fecerit, recte sensisse, pro gravitate narrationis fere majus spatium esse consumptum. Itaque properat, ut ad id ipsum, quod nervus est Νεκυίας et summa, veniat.

Sunt autem non minus reprehendenda ea verba, quibus multa Elpenor et Ulixes praeterea collocuti dicuntur. Nihil enim nostra interest, utrum homunculus ille loquatur necne; immo longum ipsius colloquium molestum Ulixi esse debebat, quem majore cum Tiresia colloquendi desiderio captum fuisse verisimile sit, quam qui hunc praecipuum iti-

---

[11]) cf. Eustath. p. 1673. init.

neris tam horribilis finem inutili cum levi homine et longo sermone differret.

Jam vero id quaeso consideres, quomodo tota de Elpenore narratio sit formata. Qua in re effugere te non poterit, initium hujus narrationis ita esse institutum, ut primis verbis historiae subsequentis, quae est de matre, conveniret:

v. 51. πρώτη δὲ ψυχὴ Ἐλπήνορος ἦλθεν ἑταίρου.
v. 84. ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ μητρὸς κατατεθνηυίης.

Simili quadam ratione diasceuasta in fine conformando finem videtur historiae antecedentis respexisse:

v. 48. αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
ἥμην, οὐδ' εἴων νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα
αἵματος ἆσσον ἴμεν.
v. 81. νῶϊ μὲν ὣς ἐπέεσσιν ἀμειβομένω στυγεροῖσιν
ἥμεθ'· ἐγὼ μὲν ἄνευθεν ἐφ' αἵματι φάσγανον ἴσχων.

Neque parvum inde colligo interpolationis argumentum. Saepenumero enim eodem, quo nostro loco, modo versus videmus suppositos, quia ii, qui illos versus genuinis immiscebant, in ea versabantur opinione, ut, si iisdem fere verbis suum poema et inchoarent et finirent, quibus et versus subsequentes inchoati et antecedentes finiti essent, oratio sine intercapedine procederet [32]).

Singulos autem versus, quibus illa de Elpenore narratio constat, undecunque collectos et quasi corrasos esse haec tabula monstrabit:

v. 51. = v. 84. 90.
55. = v. 87.} v. 395 sq.
56. = }

[32]) Simili modo interpositi sunt versus hujus libri ii, qui Atticas heroinas complectuntur, v. 320 = 325 (dat. λάχνῃ = dat. μαρτυρίῃσιν), v. 321 = 326. cf. Il. II, 546-556. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 31. 304. Lachmann. Abhdl. d. Berl. Akad. 1837. p. 159. 179. Hermann. de interpol. Hom. p. 17. (Opusc. Vol. V. p. 68.)

57. = } v. 155 sq.
58. = cf. v. 159. } v. 155 sq.
59. = IX, 506.
60. = v. 92. 405. 473. 617. al. al.
63. = } X, 558 sqq.
64. = } X, 558 sqq.
65. = } X, 558 sqq.
66. = Il. XV, 665.
67. = I, 435.
72. = Il. XXIII, 386.
73. = Il. XXIII, 358.
76. = III, 204. XXI, 255, XXIV, 433.
77. = XII, 15.
79. = v. 138. 163. 435. 462. 477. 504.
81. = v. 465. cf. v. 225.
82. = cf. v. 48 sq.
83. = cf. XXI, 368. XXII, 211.

§. 3.

Quibus expositis quaeramus, num Elpenor omnino talis, qualis his versibus describitur, describi potuerit? Etenim cum Elpenorem necesse sit aut in Orco versari aut non versari, explorandum videtur, quid poeta voluerit, deinde quid si illam, quid si hanc explicationem sequamur, statuendum sit.

Ac primum hoc apertum est, ex ipsa narratione, quid poeta voluerit, non satis constare. Nonnulli [33]) enim ex versibus tricesimo sexto et septimo recte sibi collegisse videntur, Elpenorem in Orco cum ceteris animis versari. Neque id a sententia sua confirmanda alienum putarunt, quod Elpenor ne uno quidem verbo, ut Ulixem eo magis ad preces suas exsequendas commoveret, se propter ἀταφίαν non

[33]) Ut Lange in Seebod. Neue krit. Biblioth. 1826. p. 1106.

posse in Orcum introire commemorasset. Alii autem iidemque plurimi veterum interpretum auctoritatem secuti sunt, qui Elpenorem propter ἀταφίαν ad limen stare Orci existimabant [34]). At priorem hujus loci explicationem ferri omnino non posse apparet. Nam cum mortuis ad νόον recuperandum sanguine opus esset (cf. v. 98. 147 sq. 152 sqq. 228 sqq. 390. X, 536 sq.), jure miraremur Elpenorem cum Ulixe collocutum esse, etsi sanguinem non bibisset.

Videamus igitur, quid sit si grammaticorum sententiam sequamur. Qui quidem recte nostrum locum intellexisse videntur, cum a poeta Elpenorem ita, ut ante Orcum propter ἀταφίαν vagaretur, descriptum esse existimarent. Sed tamen ita narratio nullo pacto potuit institui, ut quae cum reliqua Homeri de mortuis opinione minime conveniat. Nam in Iliade, cum tota sit bellicosa, saepenumero de mortuis dicitur, neque vero unquam homines insepulti introire in Orcum et commisceri cum aliis negantur; immo animae statim simul e corpore excessissent in Orci regiones coetumque inferorum venire ubique dicuntur. Il. VI, 422: οἱ μὲν πάντες ἰῷ κίον ἤματι Ἄϊδος εἴσω. — Il. XI, 441 sqq., Ulixes Socum allocutus dicit: ἐμῷ δ' ὑπὸ δουρὶ δαμέντα εὖχος ἐμοὶ δώσειν, ψυχὴν δ' Ἄϊδι κλυτοπώλῳ. At si e sepultura introitum in Orcum pendere poeta credidisset, quomodo Ulixes paullo post dicere potuit v. 452 sqq.:

ἆ δειλ', οὐ μὲν σοίγε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ, ἀλλ' οἰωνοὶ
ὠμησταὶ ἐρύουσι, περὶ πτερὰ πυκνὰ βαλόντες.

Nam cujus corpus aves devorarunt, nonne apparet eum nunquam posse in Orcum venire? Neque omnino quisquam de Achille dixisset Il. I, 3 sqq:

---

[34]) cf. Plutarch. Sympos IX. quaest. V, 3: τῶν Ὁμηρικῶν ψυχῶν ὅσας ἐν νεκυίᾳ κατωνόμακεν ἡ μὲν Ἐλπήνορος οὔπω καταμεμιγμένη ταῖς ἐν ᾅδου διὰ τὸ μὴ τετάφθαι τὸν νεκρὸν ὥσπερ ἐν μεθορίοις πλανᾶται. cf. Schol. Vulg. ad. v. 51. Schol. B. Q. et Vulg. ibid. Schol. Vulg. ad XXIV, 1. —

πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
οἰωνοῖσί τε πᾶσιν.

si in corporibus vel concremandis vel sepeliendis animarum in Orcum introitus positus fuisset. Hector ab Achille interfectus in Orcum ivisse dicitur, neque quidquam refert novem dies illius viri corpus neque sepultum neque concrematum a feminis Trojanis deplorari.

Qui vero locus Il. XI, 262 sq. verbis

ἔνθ' Ἀντήνορος υἷες, ὑπ' Ἀτρείδῃ βασιλῆϊ
πότμον ἀναπλήσαντες, ἔδυν δόμον Ἄϊδος εἴσω.

potest significatus esse, nisi is, ubi inferi versantur? cf. Od. XI, 150 et 627. — Il. XXIII, 19 et 179 Achilles χαῖρέ μοι, inquit, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν: quibus verbis amicum, cujus corpus nondum sepultum erat, jam in ipso Orco inesse prodit. Quod si quis negarit, is quaeso consideret Il. XXIV, 593 ubi Achilles iisdem fere, quibus antea, verbis utitur:

Μή μοι, Πάτροκλε, σκυδμαινέμεν, αἴ κε πύθηαι
εἰν Ἄϊδός περ ἐών, ὅτι Ἕκτορα δῖον ἔλυσα.

Cum enim haec verba dicerentur, Patroclus sepultus erat. Ex quo loco facile aliquis collegerit, ubicunque verba εἰν Ἄϊδος in ipso Orco habitationem atque cum ceteris animis societatem significare. Quod etiam probabilius fit eo loco, qui est Il. XXII, 389 sq.:

εἰ δὲ θανόντων περ καταλήθοντ' εἰν Ἀΐδαο,
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου.

Est enim haud dubium, quin is significetur status, quem gerentes in optima condicione versari existimabantur. cf. Il. XXIII, 103 sq.

Ergo ex Homeri sententia mortuorum animae sine ullo impedimento et proficiscuntur ad Orcum, et in societatem inferorum veniunt.

Jam vero si quaerimus, qui loci possint ad sententiam, quae nostae contraria est, evincendam adhiberi, unus tantummodo est isque ita comparatus, ut aevo recentiore eum vel ortum esse vel conversum statim intelligatur [35]). Locus ille hic est:

εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ;
οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θανόντος·
θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.
τῆλέ με εἴργουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν·
ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Il. XXIII, 69 (cf. 137).

Haec verba, quibus Patrocli anima ex Orco redux Achillem alloquitur, num genuina sint, valde dubito. Homericae enim aetati, si mortuos redire ad superos hisque apparere posse credidisset, quidni manium quoque evocatio cognita fuerit equidem non video. Atqui cum psychomantiorum maniumque evocationis memoria Homero sit recentior, cui si illa ars cognita fuisset [36]) Ulixem ad inferos deduci non opus fuisset: fieri non potest, quin Patroclum miremur, qui ex Orco redux ab Achille sepulturam precatur, ne propter corpus insepultum ante Orci portas cogatur vagari.

Dein qui est ille *ποταμός*, a quo transeundo animae dicantur Patroclum prohibuisse? Heyneus quidem Oceanum intelligit [37]); at cum Elpenor nulla re, quominus transgrederetur Oceanum, prohiberetur [38]), Patroclus quoque existimandus est Oceano non impeditus fuisse a ceterarum umbrarum congregatione. Nam Patroclo cur non idem, quod

[35]) cf. Langeum l. l. p. 1106 sqq.

[36]) cf. Lobeck. Aglaopham. Regimont. 1829. p. 316. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 164 sqq.

[37]) Homeri Ilias ed. Heyne. Tom. VIII. p. 370.

[38]) cf. Voelcker, Homerische Geographie. Hannover. 1830. p. 143 sqq.

Elpenori, licuerit equidem non video. Quare cum iis facio, qui illo flumine aut Stygem aut Acherontem aut Cocytum significari putant. Haec vero flumina cum e posterioris quam Homerici aevi sententia [39]), priusquam animae suum in receptaculum venirent, transeunda existimarentur: sententiam versibus Il. XXIII, 69 sqq. relatam ab Homeri aevo alienissimam, sive illam Iliadis partem reliquis recentiorem habeo.

Denique quod Patroclum animae, ne in Orcum ipsum veniat, propulsasse dicuntur, id satis mirum est. Etsi enim percipi facile potest, qui, ut corporum sepultura tanti aestimaretur, factum sit: id tamen permultum abest ab opinione ea, qua anima in Orco versantes corpore insepulto offendi credebantur. Haec enim opinio longius, quam quae cum ceteris Homericae aetatis moribus conveniat, repetita, neque exstitisse nisi eo tempore videtur, quo Graeci in eo erant, ut de Orco opinionem, quoad fieri potuit, accuratius excolerent et Charontem inferos transvehentem statuerent.

Quomodocunque vero haec res sese habet, id saltem intelligitur tantum discrimen inter illam de Patroclo eamque, de qua disputamus, enarrationem intercedere, altera ut ad alteram tuendam atque defendendam in medium proferri nequeat.

Iis igitur omnibus, quae hactenus disputata sunt, consideratis, non dubitabimus, quin versus 51-83 diasceuastae esse censeamus. Cujus interpolationis quae fuerit causa, non est, cur longius perquiratur. Quamquam enim probabile est, Elpenoris cum Ulixe colloquium deberi homini, cui, quod heros cum matre, Agamemnone, Achille, Hercule aliis colloqueretur, necessarius quodammodo ille sermo videbatur et ab auditoribus exspectatus [40]): tamen non magni hanc

[39]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 214.

[40]) Quod sane tum demum fieri poterat, cum Νεκυία singulare aliquod carmen constituere desineret et cum libro decimo duodecimoque conjuncta esset. cf. Cap. IV.

fecerim opinionem, cum et multae possint aliae interpolationis nostrae origines excogitari, et locum aliquem ineptum neque ulla ratione cum natura atque indole poematis convenientem cognovisse omnino sufficere videatur.

Cap. II.

DE HERCULE LOCUS (v. 601-626) DEFENDITUR.

Ψεύσομαι ἦ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός.
Od. IV, 140.

---

§. 1.

Quae supra[41]) de Νεκυίας natura atque compositione a me disputata sunt, ea a quibusdam video improbari. Sunt enim qui in Odyssea inesse quidem rationem aliquam atque cogitationem confiteantur, attamen hanc esse eam, quam ipse exposuerim, negent. Cujus rei argumenta inde potissimum repetunt, quod sententiam meam magna ex parte eo loco niti dicant, qui Herculis cum Ulixe colloquium contineat. Atqui cum totum hunc locum interpolatum esse constet, firmamentum sententiae meae de libri undecimi natura atque compositione prolatae maximum ac gravissimum labefactari.

Quod si ita sese haberet, nihil profecto mihi reliquum esset, nisi ut, quae illa de re supra proposui, ea jam rescinderem. Sed tantum abest, ut tale quid mihi subeundum esse putem, ut Herculis commemorationem ab ipso nostrae rhapsodiae auctore profectam esse existimem. Cujus sententiae argumenta hoc capite secundo sum persecuturus. Herculem vero tueri cum per se jucundum est, tum mihi exoptatum, quod hoc mihi munere facultas offertur partes

---

[41]) p. 10 sqq.

agendi λυτικοῦ, cum capite superiore ἐνστατικόν me praebuerim.

Quamvis autem ipsa antiquitas hanc Herculis apud inferos versantis commemorationem Homeri esse negaverit, non magni tamen grammaticorum veterum argumenta habita sunt nisi nostris temporibus, quibus non solum enucleata sunt, verum etiam novis quibusdam amplificata. Argumenta grammaticorum haec sunt:

1. πῶς Ἡρακλῆς ἐνταῦθα μένων θεός;
2. πῶς οἴοντε τὸν αὐτὸν εἶναι καὶ ἐν ᾅδου καὶ ἐν οὐρανῷ;
3. ἡ Ἥβη καθ' Ὅμηρον παρθένος, ὅθεν καὶ οἰνοχοεῖ.
4. ἀπίθανον δὲ αὐτὸν ἔχειν καὶ τὴν σκευήν.
5. μὴ πιὼν δὲ πῶς ὁμιλεῖ; [42])

Quibus accedunt nova quaedam B. Thierschii [43]) et Nitzschii [44]), ita ut qui obloqui conetur eum nimis temerarium videri necesse sit. Quod judicium, etiamsi in eo sim, ut mihi concitem, tamen me non impedit, quominus ad Herculem defendendum accedam. Nam me recreat ac reficit cum virorum quorundam [45]) mecum convenientia, tum copia argumentorum, quae illis et veterum et recentiorum criticorum argumentis haud inferiora esse videntur.

Magnopere autem adversariorum conatus me infracturum spero, cum versus 602, 603 et 604 interpositos esse

---

[42]) Schol. Vulg. ad v. 385. cf. Schol. Q. ad v. 601. (ubi pro ἀποτεθαιατωμένον leg. ἀποτεθανατισμένον) Schol. Venet. Il. XVIII, 117. IV, 2. V, 905.

[43]) Urgestalt des Odyssee. Königsberg. 1821. p. 72-74.

[44]) l. l. Vol. III. p. 335 sqq.

[45]) Ut Buttmann, Mythologus. Berlin 1829. Vol. I. p. 266 sqq. H. Vofs, in J. H. Vossii patris libro Kritische Blätter. Vol. II. p. 427-451. Voelcker, Ueber die Bedeutung von ψυχή u. εἴδωλον. Giefsen. 1825. s. fin. Ad. Hermann. de undecima Odysseae rhapsodia. Gätting. 1833. p. 6. 20. 22. cf. quos citat Bode de Orpheo. Gotting. 1824. p. 155.

profitear. Recte enim Nitzschius [46]) contendisse mihi videtur, verba Scholiastae Harlejani: τοῦτον ὑπὸ Ὀνομακρίτου [47]) πεποιῆσθαί φασιν, non tam ad v. 604 cum Porsono [48]), quam ad vv. 602-604 esse referenda. Quod si ita est, multo liberius possum respirare, cum et multa hac mea concessione sint argumenta remota et grammaticorum veterum auctoritas parum mihi adversetur. Nam quae eorum proferuntur rationes, quibus commoti totum de Hercule locum παρεμβεβλημένον censuerint, eae maxime in versuum 602-604 perversitate positae sunt, neque quemquam, si versus isti tres abfuissent, Herculis decriptione offensum fuisse arbitror [49]). Nullo enim modo codicis alicujus auctoritate inducti in suam sententiam discessisse putandi sunt veteres illi grammatici, qui vv. 601-627 ab Homero abjudicaverunt; aliquam saltem hujus argumenti gravissimi memoriam scholia servassent. Immo grammaticos talibus in loco aliquo improbando argumentis uti prorsus non potuisse inde comprehenditur, quod omnes quotquot erant Homericorum carminum codices probabile est e Pisistrati recensione emanasse [50]).

Satis igitur defendisse Herculem nobis videbimur, si criticorum veterum recentiorumque argumenta refutaverimus; neque tamen in eo consistemus, sed alia proferre argumenta conabimur, quibus positive, quod dicimus, Herculis commemorationem germanam esse demonstretur.

---

[46]) l. l. Vol. III. p. 335 sq.

[47]) Nomen Onomacriti non valde premendum videtur. Onomacrito enim, quem et Musaei oracula interpolasse (Herod. VII, 6) et Homeri carminibus colligendis scirent interfuisse (cf. Ritschl. libros not. 8. laud.) admodum verisimile est versus 602 sqq. tributos esse de conjectura. cf. infra.

[48]) Ad Euripid. Orest. v. 5. Porsonum sequitur Buttmannus in ed. scholl.

[49]) cf. Schol. ad. v. 385. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 335. 308.

[50]) cf. Lachmann. l. l. Commentat. II. init. Giese Ueber den aeolischen Dialekt. Berlin 1837. p. 163 sqq. Hoc tantum modo ap-

§. 2.

Primum igitur veterum grammaticorum rejicere conabor argumenta, quorum, cum versus 602-604 jam amovendos dederim, duo tantummodo restant, quippe quae posita sint in Hercule armato et cum Ulixe, licet sanguinem non bibisset, colloquente.

Quod dicunt, Herculem, cum sit εἴδωλον (sive ψυχή), arma omnino ferre non posse, id non difficile mihi videtur ad refellendum. Putarunt enim animas in Orco versantes tam similes esse aëri[51]), ut non satis intelligeritur, quomodo posset tale corpus aëreum et arcus et loricae ponderi resistere, et si posset, hanc totam effigiem Homeri de mortuorum animis sententiae adversari[52]). Quae dubitatio accurata Homericorum carminum consideratione refutatur. Nam recte nonnulli[53]) vitam in Orco ex Homeri sententia degi eodem, quo in terra, modo contendisse videntur. „Animae enim non solum statura, vultu, voce, immo et vestitu (Il. Ψ, 65 sqq.)[54]) et armis et vulneribus[55]) corpori similes sunt, ita ut facile ab Ulixe agnoscantur; sed eandem quoque na-

paret, qui factum sit ut nusquam Pisistrateum exemplar commemoretur. Nempe omnes codices erant Pisistratei. cf. Ritschl, Ueber die Alexand. Bibl. p. 58 sqq. Non mihi adversantur Schol. Il. XVIII, 39 sqq. XVII, 133, quorum verba aliter intelligenda sint.

[51]) cf. v. 204 sqq. Schol. Ven. Il. XXIII, 449. Eustath. p. 1672. med.

[52]) De alia hoc grammaticorum argumentum intelligendi ratione cf. p. 31.

[53]) v. c. H. Vossius l. l. Voelcker. l. l. (cf. not. 45) Halbkart. Psychologia Homeri. Züllich. 1796., cujus verba jam descripturus sum.

[54]) cf. p. 31.

[55]) cf. Od. XI, 40 sqq. cujus loci integritatem ne Nitzschii quidem demonstratio (l. l. Vol. III. p. 135 sq) suspectam reddidit. cf. Voelcker. l. l. p. 20. Dugas-Montbel. observations sur l'Odysse. ad vv. l. l. Neque Bothe neque Payne-Knight hos versus ut adulterinos designarunt. cf. Barnesium ad v. 38. et infra.

turam atque indolem, quam in corpore habuerant, et illic retinent: irascuntur enim[56]), laetantur (Od. XI, 538 sqq.), certiores fieri cupiunt de familiaribus suis (ibid. 492 sqq.), eadem, quorum tractatio in vita placuerat, etiam in Orco diligunt. Ajax e. c. cum in illo certamine, quod propter Achillis arma inierat cum Ulixe, victus esset, tantam ad iram exarserat, ut ne in Orco quidem vel loqui cum illo sustineret (ibid. 563 sq.). Tiresias porro, vates ille Thebanus, cum in vita vaticinandi artem exercuisset, eandem, favente ei prae ceteris Proserpina, et in Orco retinuit (Od. X, 493 sqq.). Ordinis quoque ac dignitatis rationem haberi apud inferos, videri licet tum ex Tiresiae exemplo, tum ex sermone Ulixis, quo admonet Achillem, ne moleste ferat obitum, cum, ut in vita honore floruerit, ita nunc quoque principatum inter animas obtineat (Od. XI, 484 sqq.). Cum igitur Homericae aetatis Graeci in eo vitae genere, quo in vivis uterentur, et apud inferos se perrecturos putarent, fieri non poterat, quin multa, quae iu hac vita usui ipsis essent, etiam in illa usui sibi fore existimarent. Unde explicandus est ille, qui etiamnum obtinet in multis orientis partibus, mos, cremandi simul cum mortuo ea, quae opus illi videbantur, ut sunt arma, equi, canes, et quae sunt reliqua (Il. Ψ, 172 sqq.). Ceterum haud difficile est perspectu, unde origiuem opinio illa duxerit: quippe cum primum homines, amore vitae ducti, animas post mortem superstites fore credere coepissent, illud quoque cogitabant, quid acturi essent in Orco, ac nullo apparente negotio nihil reliquum erat, nisi ut hujus vitae occupationes et illic mansuras statuerent[57])."

Ergo constare videtur, Homerum de Orco opinionem habuisse eam, qua esset effigies vitae in terra peractae.

[56]) Etiam lacrymas profundunt! cf. v. 391. 466.

[57]) Halbkart. l. l. p. 101 sqq.

Quam opinionem accuratius expressam non esse neminem poterit offendere. Nam cum Homerus non Orcum, sed Ulixem in eo versantem atque cum animis colloquentem vellet describere, pauca tantum eademque generalia de Orco ipso debebat ex consilii sui ratione proferre. Deinde plura, etiamsi dicere voluisset, dicere omnino non potuit. Nam tota haec de vita post mortem degendâ opinio naturâ suâ vaga est neque certis quibusdam finibus circumscripta [58]).

Neque vero possunt ad sententiam meam redarguendam afferri Achillis verba, quibus Orcum tristissimum tradit atque prorsus indignum, qui cum miserrima vitae condicione mutetur (v. 488 sqq.). Ex quibus verbis quamvis magnum aliquod inter inferos et superos discrimen intercedere appareat, nullo tamen modo potest colligi, inferos in condicione versari ei prorsus dissimili, qua antea usi fuissent. Sicuti enim homo aliqui potest in statum aliquem venire priore pejorem: ita homines morte in talem deferri condicionem, qualis omnibus vitae condicionibus pejor esset, Graeci existimarunt [59]).

Quamquam igitur inferorum status non idem, qui antea fuerat, habebatur, tamen non potuit nisi sub hujus, qua fruimur, vitae forma cogitari. Quis est enim, qui sibi vitam aliquam fingere possit nisi ad hujus vitae rationem corpora, lucem, aërem, solum, linguam, colores, alia sumpserit [60])? Videamus modo Christianos, quemadmodum sibi vitam aeternam fingant, neque meherele Graecos, qui summo vitae amore gauderent et arctissime cum natura essent conjuncti, Orcum effigiem vitae habuisse negabimus. Ostendant nobis

---

[58]) cf. Voelcker. Homer. Geograph. p. 153. Conr. Schwenck. in Ephem. litter. Halens. 1841. Octob. nr. 182. p. 235 sq.

[59]) cf. Il. IX, 312. Od. XI, 94. 156. 474 sqq. 618 sqq. XII, 21 sq. X, 496 sqq.

[60]) Voelcker. Ueber die Bedeutung von ψυχή u. εἴδωλον p. 19 sq.

adversarii populum aliquem, qui animas immortales esse crederit neque vero hanc sibi immortalitatem ad vitae, qua jam fruebantur, rationem finxerit.

Cum igitur Homerus in ea versetur opinione, ut animas post mortem in eadem esse, qua antea, etsi minus jucunda condicione existimet: non mirandum esse arbitor, quod Hercules arma gerat. Poetam enim, cum illam de Orco sententiam conciperet, non solum de animi affectionibus, quippe quae post mortem remanerent, sed etiam de permultis aliis rebus ad aptum corporis statum necessariis cogitasse apertum est. Locum quidem Iliadis (XXIII, 65 sqq.), ut vestitas in Orco animas esse evincam, non adhibebo, cum et interpolatus ille locus videatur[61]), et res, de qua disputetur, etiam aliis rationibus possit demonstrari. Quis est enim pulchri ac decori sensu tam exiguo instructus, ut Graecos sibi nudos inferos finxisse opinetur? Quid? Tiresiam nudum sceptroque ornatum qualem adspectum habere arbitraris? Sed nemo erit, qui de inferis tale quid contendat, neque Homerus quidquam hac de re locutus est, quod per se intelligatur.

Ergo si animae vestes, et Tiresias praeterea sceptrum, gerere possunt, cur Herculi non licuerit arma gerere?

Sed dixerit aliquis arma Herculis nostro loco inepte commemorari, quod quamnam ad rem opus essent non intelligeretur? ita enim veterum verba grammaticorum esse accipienda: ἀπίθανον δὲ αὐτὸν [Ἡρακλέα] ἔχειν καὶ τὴν σκευήν[62]). Quod, quamquam falso prolatum est, non majorem nobis Herculem tuendi difficultatem affert. Qua in re provocare ad id possem, quod modo demonstravi, Orcum esse vitae effigiem: sed alia ratione Herculem arma gerentem defendam. Nam ad usum aliquem arma Herculem gerere non equidem

---

[61]) cf. p. 21 sq.
[62]) cf. p. 28.

contenderim, quamvis facile possit usus eorum aliqui excogitari, neque vero inde consequitur, ut Hercules arma omnino non gerere debuerit. Nam cur habet Tiresias sceptrum? Respondent, quoniam vates sit. Ergo Hercules arma gerit, quoniam Hercules est. Sicuti enim vates fere animo fingi non potuit, nisi cum sceptro [63]) ita Hercules sine armis non fuisset Hercules, qui, cum per totam vitam inde a prima pueritia usque ad mortem contra varii generis pericula dimicasset, tantopere conjunctus esse cum armis et quasi concrevisse videbatur, ut nemo posset ejus notionem in animo informare, quin armis eum instructum sibi fingeret. Quare, quod modo dixi, Herculem armis nudatum nullum esse, id mihi jam repetendum est. Neque profecto quisquam haerebit in verbis χρύσεος ἦν τελαμὼν (v. 610), cum et ipsum Tiresiae sceptrum χρύσεον dicatur. Quod Nitzschius dicit [64]), nos artificii descriptione laudeque ad supernas regiones revocari, id nullius momenti esse arbitror ad Herculis commemorationem in suspicionem vocandam. Nam si Hercules arma gerit (atque haec eum gerere posse modo demonstravi) quidni poetae licuerit arma describere? quis tandem arma formam faciemque habuisse neget? praesertim cum arma non apud inferos Herculem accepisse, sed ex vita secum asportasse probabile sit.

Jam vero ad alterum Alexandrinorum, quos vocant, argumentum transeamus refutandum, quo Herculem cum Ulixe, etiamsi sanguinem non bibisset, colloquentem mirantur. Quod argumentum parvum esse atque exiguum jam inde collegeris, quod homines quosdam ceteroquin discrepantiarum in Homero investigandarum studiosissimos in Hercule ἀπότῳ mi-

---

[63]) cf. Voelcker (Allgem. Schulzeit. 1831. II. p. 1157.): es ist daher nur persönliche Auszeichnung nicht Folge des Standes, wenn Tiresias den goldenen Stab oder Scepter, das Zeichen äuſserer Würde führt Od. XI, 91."

[64]) l. l. Vol. III. p. 353.

nime videas haerentes. Cujus rei testem, ut Payne-Knightium omittam, habeo Koesium, qui Achillem aliosque, fortasse etiam Herculem sanguinem bibisse, antequam Ulixem cognoscerent et alloquerentur deinceps, *κατὰ τὸ σιωπώμενον* intelligendum esse dicit [65]). Neque aliter hac de re Nitzschius, qui nisi aliae causae essent, quae totum hunc de Hercule locum suppositum esse ostenderent, ex eo quod Hercules sanguinem bibisse non diceretur, argumentum contra illius loci integritatem derivandum esse negat [66]). Atque recte sensisse hac de re virum doctissimum eo magis apparebit, cum versus 565-600 deleverimus. Tum enim de Hercule quoque, qui statim Ajacem sequatur, verba intelligenda erunt v. 541 sq.

αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων
ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε' ἑκάστη.

Atqui cum colloqui animae cum Ulixe antea non possent, quam sanguinem bibissent: ea ex re, quod sive interrogasse sive collocutae esse dicuntur, jure illas sanguinem bibisse colligimus. Nam cum jam saepius [67]) dictum sit animis, ut Ulixem agnoscerent et cum eo colloquerentur, sanguine opus esse, cumque nos omnino id mente teneamus, non miremur, quod de Achille, Ajace, Hercule illa et agnoscendi et colloquendi condicio non sit repetita. Quod eo facilius poetae condonamus, cum Herculem ad Ulixem (ideoque ad sanguinem) accessisse sciamus. Hoc enim ex verbis patet quibus abiisse Hercules dicitur v. 627:

ὣς εἰπὼν ὁ μὲν αὖτις ἔβη δόμον Ἄϊδος εἴσω. [68])

---

[65]) l. l. p. 37.

[66]) l. l. Vol. III. p. 308. et ad Od. XI, 615 (p. 355.).

[67]) v. 95 sq. 98. 147 sqq. 153. 228 sqq. 390. cf. v. 48 sqq.

[68]) cf. v. 465, quo simili ratione verba ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Π. 'A. usurpata sunt.

§. 3.

Grammaticorum igitur veterum argumentis refutatis ea perpendamus, quae nova Nitzschius protulit. Offenditur autem eo, quod Ulixes nihil respondeat [69]) et Orci canis commemoretur, quem dicit Homerum ignorare [70]).

Quod dicit vir doctissimus Ulixis silentium mirum esse, id concedendum esset, si quid Ulixes quod responderet habuisset. Atqui cum nihil haberet, nihil poterat respondere. An est aliquis, qui, quod Herculi respondere ille potuerit, sciat? Proferat dum! Quod priusquam factum fuerit in Ulixes silentio non haerebimus. Immo omnes, qui accuratius illius loci rationem reputaverint, mecum consentient, qui Ulixem omnino nihil respondere neque potuisse neque debuisse contendam.

Sententiam quoque de Cerbero Nitzschius proposuit tantum, non demonstravit. Dicit enim locum alterum, qui Cerberi mentionem faciat (Il. VIII, 362-369), suspectum esse; neque vero, cur hanc sententiam amplexus sit, neque cur Il. XIX, 88-133 Homeri esse negarit, rationibus sat gravibus probavit, cum argumenta, quae ad sententiam suam defendendam afferat, mera commemoratione refutari videantur. Dicit enim haec [71]): Von den berühmten Arbeiten des Herakles kommt ausdrücklich in den homerischen Gedichten nur das Heraufholen des Kerberos vor, und zwar zweimal, aber wie die Stelle unten 621-26 der Interpolation angehört, so steht auch die andere Il. VIII, 362-69, in einem gewissen Widerspruch mit das. XVIII, 119. indem der Dienst der Athene zwar früher half, aber zur Zeit ihrer Aeufserung, wo Herakles doch todt ist, kaum noch einen Werth hat. Der

---

[69]) l. l. Vol. III. p. 355.

[70]) l. l. Vol. III. p. 353. 236.

[71]) l. l. Vol. III. p. 236.

Interpolation verdächtig ist ferner die Stelle Il. XIX, 95-133, wo die Unterwerfung des Herakles unter die Gewalt des schlechtern Mannes durch die von der eifersüchtigen Here verspätigte Geburt desselben so breit erzählt wird. Es spricht dort Agamemnon, und er weifs die Olympische Geschichte, wie sie den Helden bei Homer sonst nie ohne Weiteres bekannt sind. Achill weifs Il. I, 336. Etwas durch seine Mutter, Odysseus Od. XII, 388. durch die Kirke; dagegen ist Glaukos Il. XVII, 163. dessen, was die Götter gethan, unkundig. Freilich erzählt Agamemnon dort eine frühere Geschichte, aber dennoch ist die Weise befremdlich, so wie Ort und Zeit wenig passend." —

Quae quidem argumenta non sufficere mihi videntur ad illas de Cerbero narrationes in suspicionem adducendas!

Restat igitur, ut de iis argumentis dicamus, quae contra Herculem B. Thierschius[72]) protulit. Neque vero ea omnia refutem necesse est, cum plurima aut nimis exigua aut istiusmodi esse videantur, ut Thierschium ipsum vix credibile sit eorum defensionem esse suscepturum. Attamen unum protulit argumentum, quod tantam veritatis speciem prae se fert, ut silentio praeteriri nequeat. Versum enim 567 dicit non difficile esse intellectu accurate cum versu 630 cohaerere. Quam sententiam Nitzschius quoque amplexus est, nisi quod versum 564 cum v. 628 dicit connectendum esse, hujusque opinionis causam affert satis probabilem[73]). Versus enim 565 sqq., ne orationis intercapedo existeret, ad rationem versuum 628 sqq. formatos esse censet. Quae sententia meis ipsius verbis[74]) adjuvari videtur atque eo etiam augetur, quod possumus vv. 565-626 omittere, neque tamen quidquam quod ad solam pertinet verborum cohaerentiam desideramus. Nihilo tamen minus, si accurate rem reputaveris,

[72]) l. not. 43. l.
[73]) l. l. Vol. III. p. 356.
[74]) cf. supra p. 19.

neque Thierschii neque Nitzschii poteris probare sententiam, ut quae tum demum, cum alia argumenta accesserint, sit locum habitura. Namque unum hujusmodi hac in re argumentum non sufficit. Quod si esset, quid tandem obstaret, quominus sive Antiopam sive Alcumenam sive Epicastam sive Chlorim sive Iphimediam diaseuastae esse existimaremus? Atqui cum omnia alia, quae contra Herculem prolata sunt, me satis refutasse confidam, nihil me posse neque Thierschii neque Nitzschii sententiae tribuere apparet.

Atque haec quidem argumenta contra Herculem in libro Odysseae undecimo commemoratum viri docti attulerunt. Quae cum jam refutasse mihi videar ad ea transeamus perpendenda, quibus Herculem in Orco omnino commemorandum fuisse demonstrare conabor.

§. 4.

Ac primum quidem ad hanc rem evincendam demonstrem necesse est, Homerum Herculem in Orco commemorare potuisse h. e. Herculem ex Homeri sententia apud inferos versari. Neque hoc difficile est ad demonstrandum. Nam post accuratam Nitzschii ac subtilem de eo quaestionem [75]), num Homero Herculis in deos relatio nota fuerit, non amplius dubium esse potest, quin Homerus neque Herculis neque alius cujusquam ἀποθεώσεως notitiam habuerit. Quotiescunque enim in carminibus Homericis mentio fit Herculis, eadem ratione de hoc heroe, qua de ceteris omnibus, dicitur, ita ut ipsius consecrationem ea quidem, qua Ilias et Odyssea componebantur, aetate omnino non usu receptam fuisse appareat. Quod etiamsi vv. 602 sq. non ab Homero profectos esse ostendat, firmum tamen praesidium affert grammaticorum sententiae, qui ex verbis Il. XVIII, 117:

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα.

[75]) l. l. Vol. III. p. 340 sqq.

Herculem eodem quo alii heroes modo et morte correptum esse et ad inferos venisse collegerunt[76]). Neque parvi est ad hanc grammaticorum sententiam confirmandam momenti, quod Graecos olim Herculem non deum habuisse nobis traditum est. Refert enim Diodorus Siculus[77]), Athenienses primos Herculem divinis prosecutos esse honoribus; id quod de Marathoniis Pausanias narrat[78]). Ex qua narratione tempus aliquod fuisse intelligitur, quo heros ille excellentissimus non pro deo haberetur, sed ad inferos venisse existimaretur. Quam de Hercule opinionem priorem ideoque Homeri esse jam inde comprehenditur, quod posterioribus temporibus Herculis consecrationem ubique animadvertere liceat. Sane igitur potuit Homerus, si voluit, Herculem cum Ulixe facere colloquentem.

Quaeritur autem, ut eo redeat unde digressa est disputatio, num qua exstet causa, quae Homerum, cum Herculem posset cum Ulixe colloquentem describere, ut eum re vera describeret, commovere potuerit? Neque hoc dubium. Herculis enim descriptio, si sententiam, quam poeta hac universa de Ulixe narratione efferre voluit, respicis, cum ceteris Νεκυίας partibus quam arcte cohaereat, supra demonstratum est[79]). Dein cum Herculem apud inferos versari et simili aliquando, qua Ulixes, ratione in Orcum, unde Cerberum auferret, descendisse sciamus, fieri non potest, quin, cum Ulixem videamus eundem in locum proficisci, illius viri recordemur. Quod quam sit consentaneum, jam inde possumus colligere, quod veteres Homeri interpretes similitudinem, quae intercederet inter utrumque virum, notasse vide-

[76]) cf. I. not. 42. I.

[77]) IV, 39: Ἀθηναῖοι πρῶτοι τῶν ἄλλων ὡς θεὸν ἐτίμησαν τὸν Ἡρακλέα. cf. Aristid. Tom. I. p. 60.

[78]) I. 32, 4: Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι Ἡρακλέα, φάμενοι πρώτοις Ἑλλήνων σφίσιν Ἡρακλέα θεὸν νομισθῆναι. cf. I. 15, 4.

[79]) p. 13.

mus[80]). Neque solum in hoc itinere ad inferos suscepto illa Herculis et Ulixis similitudo posita est, verum etiam in auxilio, quod utrique viro Minerva et Mercurius tulisse dicuntur. Nam quod nostro loco de horum numinum auxilio refertur, id non inde profectum arbitror, quod Ulixes ab iisdem diis sublevatus esse dicatur[81]): sed insignis haec et Herculis et Ulixis fabularum similitudo ex ipsa Minervae et Mercurii derivanda est natura, quae cum maxime iu iis hominibus versetur sublevandis, qui multis iisque gravibus periculis sint contentionibusque illaqueati[82]), tum Herculis tum Ulixis fabula apparere debebat. Huc accedit, quod Il. VIII, 357 sqq. Minerva de se ipsa dicit, se aliquaudo Herculem adjuvisse, cum ei, ut Orci canem asportaret, demandatum fuisset[83]).

---

[80]) cf. not. 20. Senec. de constant. cp. 2: Catonem autem certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse, quam Ulixem et Herculem prioribus saeculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiaverunt, invictos laboribus, contemtores voluptatis et victores omnium terrorum." — Herculem Ulixemque patronos fuisse factos Stoicorum et Sophistarum notum est. cf. Heyne, Comment. Soc. Gotting. a. 1780. Vol. III. G. C. Mezger, de Hercule sapientis Stoici exemplo. August. Vindel. 1829.

[81]) a Minerva sexcenties, a Mercurio Od. V. init. et X, 274 sqq. cf. Il. XXIV, 334 sq.

[82]) cf. P. F. Stuhr, Religionssysteme der Hellenen. Berlin. 1838. p. 336 sqq. (p. 332 sqq. 340) p. 318 sq.

[83]) De Hercule a Minerva et Mercurio sublevato cf. Il. XX, 146 ibiq. Schol. Euripid. Heraclid. 920 sqq. ibiq. Barnes. — Diunys. Halic. Techn. Tom. II. p. 41, 31 (ed. Sylburg. Lips. 1691. fol.): ὁ δὲ [Ἡρακλῆς] σὺν τῇ Ἀθηνᾷ πάντα κατώρθωσε τὰ ἐπιταχθέντα." — Pherecyd. ap. Schol. Od. XXI, 22 (no 46. p. 172 sqq. ed. Sturz.). Apollodor. II. 4, 11. 5, 6. 11. 12. II. 6, 3. II. 4, 9 (Odyss. XIX, 394 sqq.). cf. O. Mueller, Handbuch d. Archaeologie. ed. II. §. 381, 7. — 410, 9. — 411, 1. 3. 5. — 365, 1. Fr. Welcker, in Allg. Schulz. 1831. II. no 138. p. 1101. not. 1. Boettiger, Hercules in bivio. Lips. 1829. p. 25 sqq. B. G. Weiske, Prometheus u. sein Mythenkreis. Leipzig. 1842. p. 495 sq. not. 1 et 2.

Quae cum ita sese habeant, summam inter Herculem et Ulixem intercedere similitudinem ex ipso Homero intelligitur. Quis est igitur, qui Ulixem in Orco versantem nobis Herculem, qui idem sustiuuisset, in memoriam neget redigere? quis qui, cum Homerus Herculis fabulam cognovisset, illum non recordatum esse hujus viri opinetur, qui cum malorum, ut ita dicam, successore atque haerede colloquens tam eximiam praeberet tamque praeclaram imaginem? Num Homerus potuit tum sine magno carminis detrimento, tum sine incommoda auditorum frustratione hoc colloquium omittere?

Herculem autem compluribus jam ante Homerum celebratum fuisse carminibus a tot viris doctis demonstratum est [84]), equidem ut hujus rei repetitione possim supersedere. Atqui cum Herculis fabulam Homero cognitam fuisse constet, quid potest esse verisimilius, quam eum etiam Herculis ad inferos proficiscentis notitiam habuisse? Nam hanc potissimum totius fabulae partem auditorum animos oblectasse inde potest perspici, quod in tam multis carminibus Graecorum epicis nobis traditum est iter aliquod in Orcum enarratum fuisse [85]). Quam conjecturam nostram verba affirmant Od. XI, 623 sqq. et Il. VIII, 362 sqq.

Ergo haec similitudo cognatioque inter Herculis et Ulixis fabulas intercedens tanta erat, ut poeta, cum Herculem posset cum Ulixe facere colloquentem, omittere hoc colloquium non deberet.

---

[84]) cf. Heynei Obss. ad Apollod. (II. 4 sqq.) p. 132 sqq. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 236. et qui ab hoc laudantur Boettiger, Ilithyia oder die Hexe. p. 31 sq. O. Mueller, Dor. II. p. 482. Uschold, Geschichte des trojan. Krieges. Stuttg. 1826. p. 111.

[85]) Ut in Νόστοις (Pausan. X. 28, 4.-29, 4.-30, 2 (coll. I. 2, 1). Mueller, de cyclo Graecorum epico. Lips. 1829. p. 41 sq. Nitzsch. Meletem. II. p. 32 sqq. Welcker. Ep. Cycl. p. 279 sqq.), in Minyade (Paus. X. 28, 2. Welcker. l. l. p. 255). cf. Welcker. l. l. p. 259 sq. A. Ozanam, de frequenti apud veteres poetas heroum ad inferos descensu. Paris. 1839. —

Susceptae materiae ordo jam me ad aliud, quod pro Hercule afferre institui, argumentum adducit. Recte enim Nitzschius videtur contendisse, Homeri auditores in eam necessario venisse sententiam, ut Ulixem, quem ad inferos profectum esse audirent atque cum multis ibi et feminis et viris collocutum, eos quoque, quos animo complecterentur quique in Orcum jam descendissent, ibi vidisse existimarent; qua in re auditoribus verisimile esse personas carminibus maxime celebratas imprimis in mentem venisse [86]). Quod quam recte vir ille doctissimus significarit, neminem potest effugere. Atqui cum Hercules tunc in Orco versari existimaretur (cf. p. 36 sq.) et permultis esset carminibus celebratus (cf. p. 39.): quid tandem probabilius est, quam auditores, Ulixes an Herculem quoque heroum omnium vidisset summum, interrogasse? Quam interrogationem illis in mentem venisse, si eorum, quae paullo ante disputavimus, rationem habueris, multo etiam magis verisimile tibi videbitur. Itaque vix opus esset illud afferri argumentum, quo Herculem nobis jam antea in memoriam reductum esse appareat, fabulis dico illis, quae quam arctissime cum ejus nomine cohaerеant. Quarum non sunt ea solum, quae de Alcumena (v. 266 sqq.) deque Megara (v. 269 sqq.) narrantur, verum Neleus etiam ejusque filii (v. 254 sqq. 281 sqq.), quibuscum Hercules pugnasse dicebatur [87]), facere non possunt, quin hujus viri dent nobis excellentissimi recordationem. Atque tota libri, de quo dicimus, materia in rebus fabulisque et Orchomeniorum et Thebanorum versatur [88]), ita ut universa, quae antecesserit, enarratione Herculis imago, qui esset Thebanorum longe celeberrimus, in animo nostro sit penitus impressa. Nonne vero poetam sese pessimum Νεκυίας auctor praebuisset, si

[86]) l. l. Vol. III. p. 228.

[87]) cf. not. 198.

[88]) cf. infra Cap. V.

exspectationem primum nobis concitasset, deinde vero decepisset?

Locum de quo quaestionem instituimus germanum esse id quoque argumentum demonstrat, quod in Hercule colloquente positum est. Nam Herculis descriptionem mirum quantum differre ab ea, qua Minos, Orion, Tityus, Tantalus, Sisyphus contineantur, omnes intelligent, qui paullo accuratius utramque velint narrationem considerare. Hercules enim non conspicitur tantummodo ab Ulixe, sed etiam ad fossam, quae victimae excepisset sanguinem, accedit atque animarum cum Ulixe colloquium, quod Minois, Orionis virorumque impiorum descriptione erat interruptum, rursus incipit. Neque tamen quidquam obstabat, quominus aeque ad sanguinem Minos et Orion appropinquarent.

Sed ad ultimum venio argumentum, quo ductus illam de Hercule narrationem totius libri auctori adscribendam esse censui. Quamvis enim facile intelligatur Minos, Orion, Tityus, Tantalus, Sisyphus cur suppositi sint, hujusque interpolationis causa peridonea possit excogitari: rationem tamen, qua commotus aliquis huc Herculis descriptionem inseruerit, nondum potui indagare. Immo qui hunc Homero locum supponere instituisset, ei permultas res adversaturas fuisse comprehenditur. Nihil enim aliud statuere poteris, quam illius loci auctorem Herculem deum aut cognovisse aut non cognovisse. Prior autem sententia ferri non potest, cum non intelligas, quae tandem causa diasceuastam commoverit, ut Herculem, quem omnes divinis prosequerentur honoribus, in Orco versantem describeret? Sed ea est fabularum omnium natura, ut res, quae primo sint attenuate ac simpliciter enarratae, post aliquod tempus implicite ac mirabiliter depingantur. Itaque homines, qui principio nulla alia re differrent a ceteris, nisi majore sive animi sive corporis vi atque divina, qua nati essent, stirpe, postea inter ipsos deos

referebantur.[89]). Quo factum est, ut Achilles, quem Homerus nondum pro deo habet, posterioribus temporibus deus haberetur versarique cum Helena uxore in Leuce insula existimaretur[90]). Simili modo fabulae commutatae sunt Diomedis[91]), Philoctetae[92]), Ajacis[93]), Neoptolemi[94]), Antilochi[95]), Hectoris[96]), Ulixis, quem post mortem revixisse Circamque in matrimonium duxisse Cyrenaeus Eugammon cantaverat[97]).

---

89) cf. Welcker. Ep. Cycl. p. 233 sq. eund. Rhein. Mus. 1833. II. p. 244 sq. Koehler. (cf. not. 90.) p. 680 sqq.

90) Quod Aethiopide celebrabatur. cf. Nitzsch. Meletem. II. p. 50. Boeckh. Expll. Pindar. p. 132. Dissen. ad Pind. Nem. IV, 49. Koehler, sur les isles et la course consacrées à Achille dans le Pont-Euxin avec des eclaircissemens sur les antiquités du littoral de la Sarmatie et des recherches sur les honneurs que les Grecs ont accordés à Achille et aux autres heros de la guerre de Troie." In Mem. de l'Acad. des sciences de St. Petersbourg. Tom. X. Petersb. 1826. 4. p. 531-819.

91) cf. Pindar. Nem. X, 7 ibique Dissen. (in Boeckh. Expll. p. 463 sq.), Heyne. Virg. Aen. X. exc. 1. Koehler. l. l. p. 694 sqq.

92) cf. Lycoph. Cass. 927 sqq. Koehler. l. l. p. 705: on lui offroit en victimes des taureaux comme à une divinité de l'Olympe."

93) Pindar. Nem. IV, 48. Aesch. Pers. 363. Paus. I. 35, 2. III. 19, 11. Philostr. heroic. p. 66. 72. Koehler. l. l. p. 687 sqq.

94) Pindar. Nem. VII, 44 sqq. Pausan. X. 24, 5. Koehler. l. l. p. 686 sq.

95) Philostr. her. p. 79. Koehler. l. l. p. 686.

96) Quem Thebani venerabantur. cf. Aristot. Epigr. XLI (Brunck. Anal. Tom. I. p. 182) Pausan. IX. 18, 4. Tzetz. ad Lycophr. 1194. 1208. Boeckh. Expll. Pindar. p. 537 sq. O. Mueller. Orchom. p. 395. — Ilienses Hectorem veneratos esse refert Athenagor. legat. pro Christian. p. 6. 108 ed. Rechenberg. Clemens Rom. recognit. lb. X. p. 110 ed. Semaian. a. 1569. cf. Strab. XIII. p. 692.

97) cf. infra not. 113. — Divinos Ulixis apud Trampyias in Epiro honores commemorat Tzetz. ad Lycophr. 800. Ulixis oraculum idem ad. v. 799. cf. Dissen. in Boeckh. Pind. Expll. p. 424.

Ergo eum, qui pro deo Herculem haberet, hunc in Orco versantem descripsisse statui nullo modo potest, ut qui Herculem mortuum et ad inferos profectum, potius ad deos retulisset [98]). Itaque nostri loci auctorem constat Herculis consecrationem nondum cognovisse. Quod cum ita sit, versus 602-604 seriore aetate illatos esse in Νεκυίαν atque meo me jure egisse in his versibus a ceterorum familia sejungendis apparet [99]).

Sed dixerit aliquis Herculis descriptionem ejus inter deos receptione quidem priorem esse, neque vero inde consequi, ut ea sit germana. Quod argumentum quam sit infirmum, facile perspicitur. Nam Herculem jam perantiquis temporibus pro deo habitum esse ex carmine illo cyclico intelligitur, quod inscribebatur Οἰχαλίας ἅλωσις et a Creophylo conscriptum fuisse perhibetur. In quo carmine Herculis in Oeta monte exustionem celebratam fuisse atque inter deos receptionem Welckerus V. Cl. tam accurate demonstravit [100]), ut, quamquam fere nullum illius carminis versum iniquitas temporum nobis superstitem esse voluit, hac de re tamen nequeat dubitari. Facere igitur non poterimus, quin Herculis descriptionem ad id ipsum tempus, quo alia eaque germana Homerica carmina componebantur, referamus.

Quod si nobis concessum erit, facile quae fuerit versuum 602-604 supponendorum ratio comprehendetur. Nam cum populum, coram quo Homeri carmina recitabantur, vehementer hac de Hercule apud inferos versante narratione offendi necesse esset: rhapsodi, qui gratiam populi ac be-

---

[98]) Et tale quid revera factum est cf. p. 43 sq.

[99]) In eodem fere sententia Nitzschium versari ex ejus verbis perspicuum est, quibus aliquam Herculis inferni imaginem dicit jam prius in Homerum illatam fuisse, quam Onomacritus, ne discreparet a populi opinione Homerus, versus 602-604 adjecisset. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 349.

[100]) Episch. Cycl. p. 233 sqq.

nevolentiam captarent, cum illum de Hercule locum neque vellent ex Homero ejicere neque possent, viam inierunt eam, ut in Orco εἴδωλον tantum Herculis, eum ipsum autem apud deos versari immortales praedicarent. Quam Homericae popularisque opinionis aequationem rhapsodis Atticis deberi perquam mihi probabile est, cum Herculis cultum summo Athenienses in honore atque primos habuisse viderimus [101]. Non magni igitur fecerim narrationem illam, quae Onomacritum versuum 602-604 auctorem prodit [102], atque conjectura magis, quam certis argumentis niti videtur. Nam cum nullus alius Homerus, quam quem Pisistratus conscribendum curaverat, veteribus grammaticis videatur cognitus fuisse [103], illa de Onomacrito narratio unde orta sit, praesertim cum critici Alexandrini, quos vocant, eam, quae summi in illis versibus rejiciendis momenti fuisset, silentio prorsus praeterierint, nequaquam intelligimus. Versus autem illos Attici esse diasceuastae inde potest colligi, tum quod Pisistratum probabile est in Homero conscribendo rhapsodis maxime Atticis usum esse, tum quod alii quoque Νεκυίας versus [104] Atheniensem auctorem redolent.

Atque his fere rationibus moveor ut Herculis descriptionem ab ipso totius libri auctore profectam esse existimem.

---

[101]) cf. not. 77. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 349. Pflugk. Eurip. Heracl. p. 5.

[102]) cf. not. 47.

[103]) cf. not. 50.

[104]) cf. v. 321-325. et 631. cf. infra Cap. III.

Cap. III.

RELIQUAE ΝΕΚΥΙΑΣ INTERPOLATIONES EXAMINANTUR.

τῶν ἄλλος μὲν ἀποφθίσθω, ἄλλος μὲν βιώτω.
Il. VIII, 429.

Hoc tertio capite de reliquis Νεκυίας versibus iis disputabo, quos ab Homero profectos esse neque aliis viris doctis neque mihi ipsi persuasum est. Neque vero me in supposititiis illius libri versibus examinandis uti opus est longa atque copiosa disputatione, quod cum ad alios viros possum provocare, qui versus aliquos adulterinos esse sat demonstrarunt, tum interpolationes, quae recensendae restant, momenti sunt iis minoris, quae Elpenoris Herculisque descriptionem complectuntur. Qua in re ita versabor, ut singulos versus, de quibus disserendum sit, secundum ordinem, quem in Νεκυίᾳ sequantur, proferam. Atque quod supra dixi [105]), ex omnibus Odysseae libris nullum esse, qui tantopere sit interpolationibus foedatus, quantopere liber undecimus, id maxime hac tertia quaestione recte a me dictum esse apparebit.

Primum autem de vv. 38-45:

νύμφαι τ' ἠΐθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες
παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι·
πολλοὶ δ' οὐτάμενοι χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν
ἄνδρες ἀρηΐφατοι, βεβροτωμένα τεύχε' ἔχοντες·
οἳ πολλοὶ περὶ βόθρον ἐφοίτων ἄλλοθεν ἄλλος
θεσπεσίῃ ἰαχῇ· ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει.

quos cum veteribus criticis (cf. Schol. Q. et Vulg.) Wolfius et Nitzschius pro supposititiis habuerunt, confitendum mihi

---

[105]) cf. p. 9.

est, id quod jam supra indicavi [106]), neque grammaticorum neque Nitzschii [107]) contra hujus loci integritatem argumenta satis gravia mihi ac firma videri.

v. 92.

Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ.

Nonnihil interesse videtur, utrum hunc versum, quo Ulixem Tiresias alloquitur, retineamus necne. Nam si Homeri eum esse arbitramur, Tiresias prius quam sanguinem bibisset Ulixem agnoscit, sin negamus etiam vati illi videtur sanguine opus esse ad Ulixem agnoscendum.

v. 115-134.

δήεις δ' ἐν πήματα οἴκῳ,
ἄνδρας ὑπερφιάλους, οἵ τοι βίοτον κατέδουσιν,
μνώμενοι ἀντιθέην ἄλοχον καὶ ἕδνα διδόντες·
ἀλλ' ἦτοι κείνων γε βίας ἀποτίσεαι ἐλθών.
αὐτὰρ ἐπὴν μνηστῆρας ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσιν
κτείνῃς, ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξεϊ χαλκῷ,
ἔρχεσθαι δὴ ἔπειτα λαβὼν εὐῆρες ἐρετμόν,
εἰσόκε τοὺς ἀφίκηαι, οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
ἀνέρες, οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν·
οὐδ' ἄρα τοίγ' ἴσασι νέας φοινικοπαρῄους,
οὐδ' εὐήρε' ἐρετμά, τάτε πτερὰ νηυσὶ πέλονται.
σῆμα δέ τοι ἐρέω μάλ' ἀριφραδές, οὐδέ σε λήσει·
ὁππότε κεν δή τοι ξυμβλήμενος ἄλλος ὁδίτης
φήῃ, ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν ἀνὰ φαιδίμῳ ὤμῳ,
καὶ τότε δὴ γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμόν,
ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι,
ἀρνειόν ταῦρόν τε συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον,
οἴκαδ' ἀποστείχειν, ἔρδειν θ' ἱερὰς ἑκατόμβας
ἀθανάτοισι θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
πᾶσι μάλ' ἑξείης·

---

[106]) p. 28. not. 55.

[107]) l. l. Vol. III. p. 135 sq. — Si vulnera accipere εἴδωλα nequeunt, cur σίδηρον φοβοῦνται (Schol. Q. v. 48)? cf. Eustath. p. 1672.

Permulta in his verbis insunt, quae magnam nobis dubitationem, num germana sint, afferant [108]. Nam quae de procis dicuntur, plane mihi persuasum est ea seriore demum aetate et orta esse et huc infersa. Tiresiae enim verba qui accurate consideraverit, facere non poterit, quin sic ea conformata existimet, ut mala quoque, quae domi Ulixes reperire dicatur, ex Solis tauris in insula Trinacia mactatis nata habeantur. Id quod ineptum esse neque cum historia alias relata conveniens quisque intelliget.

Dein qui fieri potuit, ut Ulixes, quippe qui jam de procis bona ipsius abligurituris Penelopamque in matrimonium sibi petituris certior factus esset, ex matre quaereret, utrum uxor alicui nupsisset Achaeorum necne?

εἰπὲ δέ μοι μνηστῆς ἀλόχου βουλήν τε νόον τε
ἠὲ μένει παρὰ παιδὶ καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσει,
ἦ ἤδη μιν ἔγημεν Ἀχαιῶν ὅστις ἄριστος; v. 177 sqq.

Ulixes autem, cum a Minerva postea de procis certior fit [109], nihil se de his antea audivisse ostendit. Nitzschii enim excusatione atque interpretatione [110], quam probare prorsus

---

[108]) cf. Kayser. disp. de diversa Homeric. carminum origine. Heidelb. 1835. p. 10 sq. Ad. Hermann. de undecima Od. rhapsodia commentatio. Götting. 1833. p. 9. 6.

[109]) XIII, 383 sqq.

[110]) l. l. Vol. II. p. L: „Bei seinem Todtenbesuch wird Odysseus von dem Seher Teiresias schon auf die Freier in seinem Hause hingewiesen. Dieser Prophezeiung scheint Odysseus XII, 383 s. nicht eingedenk zu sein, doch ist dieſs wieder eine göttliche Erinnerung an Etwas, was des Klugen Geist auch selbst bedenken könnte, oder vielmehr eine Repraesentation eigner Klugheit durch die Göttin, welche sie verleiht. Endlich muſste er erfahren daſs jene Prophezeiung eintreffe." — Vol. III. p. 206 sq. „Daſs diese Ankündigung der Freier, die Odysseus in seinem Hause treffen werde, von diesem nachmals XIII, 383 ff. vergessen scheine ist ein voreiliges Urtheil. Jene ganze Berathung mit Athene ist nur Veranschaulichung der eignen Ueberlegungen des von jener Göttin geliebten d. h. durch Vor- und Umsicht ausgezeichneten Helden." —

nequeam, hanc libri undecimi tertiique decimi repugnantiam non esse sublevatam censeo. Immo versus nostri libri, qui procorum mentionem faciant, aliunde desumptos atque huc esse interpositos apertum est:

v. 116 = XIII, 396. XV, 32.	v. 118 = XVI, 255.
v. 117 — XIII, 378.	v. 119 sq. = I, 295 sq.

Nonne autem vaticinii parte ea, qua post tot pericula terra marique perlata nova eaque gravia subeunda dicuntur, opus erat Ulixis alacritatem in laboribus suscipiendis illis, qui prinsquam in patriam sospes rediret, ipsi imminerent, vehementer labefactari? Nonne haec animi afflictio ei prorsus adversaretur fini, quem Ulixis itinere ad inferos suscepto poetam spectare demonstravimus [111])?

Dein qui versus fecerit 121 sqq., eum itineris ad Thesprotos suscepti notitiam habuerit, eundem mortem Ulixi a Telegono oblatam cognovisse probabile est. Nam Ulixes ad Thesprotos profectus et a Telegono occisus Telegonia, carmine quodam cyclico, celebrabatur. Atqui huic rei adversantur vv. 134 sqq.:

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρᾳ' ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον· ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται.

Narratio enim, qua Ulixes a Telegono, quem filium ex Circa suscepisset, eum a Thesprotis Ithacam rediret, hasta trygonis spiculo instructa vulneratus ac trucidatus esse dicebatur, non nisi ex falsa verborum ἐξ ἁλὸς (v. 134) interpretatione orta est. Quae verba sive unum vocabulum constituere sive duo arbitramur, nihil aliud significare constat, nisi ἔξω καὶ πόῤῥω τῆς θαλάσσης [112]). Sed ita Graeci Ho-

[111]) cf. supra p. 10 sqq.

[112]) Schol. Vulg. ad. v. 134. cf. Schol. Q. ad eund. v. Eustath. p. 1676. Lehrs, de Aristarchi studiis Homericis. Regimont. 1833. p. 134. not.

mero recentiores ea interpretati sunt, ut mortem iis significari dicerent, quam ex mari profectam occumbere Ulixem Tiresias auguratus esset. Atque longam de hac Ulixis morte fabulam composuerunt [113]). Neque mirum debet videri, quod ex falsa verborum Homericorum interpretatione illam de Telegono et Ulixis morte fabulam exstitisse dixi, cum eodem modo alias easque latas narrationes ortas esse sciamus [114]).

Jam vero quae sit totius interpolationis ratio, videamus. Est autem satis probabile, carmina, quibus Ulixis errores contineantur, iis antiquiora esse, quae de procis composita sint. Quare consentaneum est eos, qui carminibus epicis aut componendis aut recitandis operam navarent, id potissimum spectasse, ut nova quaeque carmina ad vetera accomodarent, atque haec versibus locupletarent, quibus ad ille

---

[113]) cf. Proclus in Bibliothek der alten Litteratur und Kunst. I. 1 p. 42 sqq. Hygin. Fb. 127. Schol. Bekker. p. 87[b], 51. Oppian. Hal. II, 498 sqq. Flav. Philostr. heroic. p. 695. ed. Olear. al. al. Barnes. ad. Od. XI, 134. J. A. Fuchs, de varietate fabularum Troicarum quaestiones. Colon. 1830. p. 182 sqq. Welcker, Aeschyl. Trilog. p. 459 sqq. Episch. Cycl. p. 242. (not. 379) 248. 311 sqq.

[114]) cf. Welcker, in Allgem. Schulz. 1831. II. no 99. p. 787. — no 138. p. 1102. not. 6 et 7. Rhein. Mus. 1833. II. p. 164. not. 78. Heynei Obss. in Apollod. p. 317. — Od. XI, 195 sqq. νεώτεροι adducti sunt, ut Anticleam ipsam, cui Nauplius Ulixem mortuum esse falso nuntiavisset, se trucidasse dictitarent. cf. Schol. Vulg. ad Od. XI, 195. Schol. Q. ad Od. XI. 202. Schol. Euripid. Orest. 432. — Liberos, quorum nulla est apud Homerum mentio, Ulixem ex Circa, Calypsone, Nausicaa al. accepisse poetae recentiores statuerunt. cf. Hesiod. Theog. 1011 sqq. ibq. Wolf. Eustath. p. 1796. Tzetz. Lycophr. 798. Chil. V. hist. XVI, 564 sqq. Creuzer, Briefe über Homer und Hesiod. Heidelberg. 1818. p. 223. Fuchs l. l. p. 178 sqq. al. al. — Neque defuerunt, qui Penelopam procorum omnium (πάντων!) meretricem factam Panem peperisse hariolarentur. cf. Herod. II, 145. Cic. N. D. III, 22 ibq. Davis. et Creuzer. Paus. VIII. 12, 3. Perizon. ad Aelian. V. H. XIV, 45. Creuzer, Symbolik. III. p. 241 sqq. al. al.

auditorum animi et converterentur et praepararentur. Itaque versus istos, qui procorum commemorationem continent, a diasceuasta huc illatos esse arbitror, qui idonea, quae vaticinio data erat, occasione ad procorum mentionem faciendam se uti posse existimaret. Neque aliud quidquam possum de versibus iis contendere, qui sunt de itinere Ulixis ad homines οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν suscipiendo. Quod quidem mandatum tantum abest, ut poetae sit ejusdem, qui fabulam de Ulixe patriam appetente composuerit, ut nonnisi ea potuerit aetate exoriri, qua, cum fabula illa de Telegono conformata esset, hanc rhapsodi studerent cum illa de Ulixis erroribus conjungere [115]).

v. 298-304.

καί Λήδην εἶδον, τὴν Τυνδαρέου παράκοιτιν,
ἥ ῥ' ὑπὸ Τυνδαρέῳ κρατερόφρονε γείνατο παῖδε,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα·
τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα·
οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες
ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
τεθνᾶσιν· τιμὴν δὲ λελόγχασι ἶσα θεοῖσιν.

Hos versus cum Payne-Knightio, Ad. Hermanno (l. l. p. 11 sq.) et Nitzschio (l. l. Vol. III. p. 246) pro spuriis habeo. Castor enim et Pollux cum Tyndarei filii dicantur [116]) et non Jovis, quomodo eorum ἑτερημερία, cujus, si ambo mortales sunt, nulla est causa, commemorari potuerit, nequaquam intelligimus. Dein cum Il. III, 238 Helena se Castoris Polluxisque sororem dicat, et tunc, ubi Ulixes ad inferos proficisceretur, in vivis esset, ambo isti heroes, Ulixis aequa-

---

[115]) De v. 123-125 Payne-Knight. haec: E commentis confictos esse et a rhapsodo serioris aevi insertos commissura satis probat, ut nihil dicam de digammate neglecto in τοί ἴσασι." —

[116]) v. 299 sq. cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 243.

les [117]), a personis praeteritae, maximam partem ultimae aetatis, inter quos positi sunt, vehementer abhorrent et ab eo tantum, cui sane fratres illi essent homines temporis dudum praeteriti, hic poterant interponi.

Ad quae argumenta ea accedunt, quae tum in verbo λελόγχἄσι [118]) posita sunt, tum in vocabulo τὴν (v. 298), quod articuli quasi vicarium improbandum est cum a versibus 260, 266, 305, quamvis eadem in iis sit conjunctio, vocula ista τὴν absit.

v. 321-325.

Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον καλήν τ' Ἀριάδνην,
κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς
ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων
ἦγε μὲν οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ, Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

Homero hanc narratiunculam subditam esse censeo [119]). Nam Homerum nullam omnino Dionysi notitiam habere Lobeckius V. Cl. argumentis probavit, quae neque a Voelckero [120]) refutata sunt neque omnino refutari posse videantur [121]).

De mira autem vocabuli Διόνυσου correptione veteres grammatici ipsi disseruerunt [122]); atque Minoa ideo tantum

---

[117]) cf. Il. III, 236-244.

[118]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 245. G. Hermann. ad Orph. not. p. 804. de emendand. gr. Gr. p. 444.

[119]) cf. Payne-Knight. ad v. l. Lobeck. Aglaoph. p. 284 sqq. Ad. Hermann. l. l. p. 11. 12. 18. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 251 sqq. L. Stephani, der Kampf zwischen Theseus und Minotauros. Leipzig. 1842. Fol. 7.

[120]) In Neue Jahrb. f. Phil. und Paed. 1832. V. 1. p. 47 sqq. Rhein. Mus. 1832. II. p. 191 sqq.

[121]) cf. Nizsch. l. l. Vol. III. p. 42 sqq.

[122]) cf. Herodian. in Etym. M. s. v. Διώνυσος. G. Hermann. Opusc. II. p. 190 sq.

ὀλοόφρονα dici (v. 322), quod Atheniensium inimicus fuisset [123]), Guil. Muellerus recte suspicatus est [124]).

Tam brevis denique feminarum enumeratio, cum de omnibus quae antecedant uberius dictum sit, non locum habere nisi in fine narrationis videtur. Itaque recte sese habent v. 326 sq. [125]).

vv. 328-384,

Ulixis cum Phaeacibus colloquium continentes a Νεκυίας auctore profectos esse nego, quamvis paullo aliis ad hanc sententiam adducar argumentis, quam quae adhuc prolata sint [126]). Atque magnopere miror Nitzschium versus illos adulterinos existimasse, qui, si pro germanis haberentur, valde ejus de Homero sententiam essent adjuturi. Nam illud colloquium, si liber undecimus ejusdem, cujus sextus, septimus, octavus, poetae esset, non solum non supervacaneum esse, verum etiam maxime necessarium, accuratissime potest demonstrari. Quare, cum Nitzschius versus 328-384 παρεμβεβλημένους habeat, librum undecimum alius auctoris esse, quam qui fecerit sextum, septimum, octavum, concedit.

Equidem diversam viam ingressus versus illos suppositios esse mihi persuasi. Nam cum aliis argumentis commotus librum undecimum carmen singulare aliquando fuisse intellexissem, Ulixis cum Phaeacibus colloquium ea demum aetate, qua in unum aliquod poema singula de Ulixis erro-

---

[123]) cf. Plutarch. Thes. cp. 16: ἔοικε γὰρ ὄντως χαλεπὸν εἶναι φωνὴν ἐχούσῃ πόλει καὶ μοῦσαν ἀπεχθάνεσθαι. καὶ γὰρ ὁ Μίνως αἰεὶ διατελεῖ κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις." — Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 251. L. Stephani. l. l.

[124]) Homer. Vorschule. ed. II. p. 85.

[125]) cf. supra not. 32. et infra p. 53 sq.

[126]) a B. Thiersch. Urgestalt des Odyssee. Königsberg. 1821. p. 125 sqq. Ad. Hermann. l. l. p. 3 sq. 14 sq. 25 sqq. Nitzsch. l. l. Vol. II. p. XLIX. Vol. III. p. 256 sq. 263.

ribus carmina coalescerent, et compositum et in Νεκυίαν illatum esse perspexi[127]).

v. 565-600.

cum veteribus grammaticis plurimisque criticorum recentiorum pro supposititiis habeo[128]); in quorum virorum argumentis acquiescere in praesentia mihi commodum est[129]).

v. 631.

Θησέα Πειρίθοόν τε, θεῶν ἐρικυδέα τέκνα.

a Pisistrato intersertum esse Hereas tradit apud Plutarch. Thes. 20:

Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.

Τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς. ὥςπερ αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκυίαν τό· Θησέα Πειρίθοόν τε κτλ.

Neque scio an idem Pisistrato tribuendum sit, quod Onomacrito, quem cum scholia dicerent illa de Hercule inter deos relato verba in Homerum intulisse, rhapsodi alicujus Attici loco nominatum esse vidimus[130]). Quod si ita est, versus ille de Theseo Pirithooque omnino Atheniensi alicui adscribendus est. Etenim, ut quae supra[131]) disputavi repetam, cum in Homero litteris consignando probabile sit Pisistratum rhapsodis maxime Atticis usum esse, fieri non poterat, quin ii loci, qui a rhapsodis illis ad majorem populi delectationem in Homerum inserti erant, in Pisistrateum

---

[127]) cf. infra p. 55 sqq.

[128]) Cur Herculem de hac ἀθετήσει exemerim fusius supra Cap. II. expositum est.

[129]) cf. Schol. ad v. 568. 570. 577. 593. Schol. Ven. Catal. 104. (II, 597). Schol. Pind. Ol. I, 97 (cf. Wolf. Prolegg. p. CCLXX. not. 56). B. Thiersch. Urgestalt d. Odyss. p. 69 sqq. Ad. Hermann. l. l. p. 15. 18 sqq. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 304 sqq.

[130]) Supra p. 44.

[131]) p. 44.

Homericorum carminum exemplar reciperentur. Itaque multos versus eosque ad res fabulasque Atheniensium spectantes interpositos esse videmus. Nam unus liber Odysseae undecimus tres complectitur interpolationes Atticas, quarum primâ Phaedra, Procris, Ariadna, Theseus, Minos, Dionysus, altera Herculis ἀποθέωσις, tertia denique Theseus Pirithousque continentur. Quae interpolationes non nimio alicui Atticorum rhapsodorum interpolandi studio tribuendae sunt, cum aliis Graeciae locis eodem modo Homerica carmina vel corrupta esse vel amplificata consentaneum sit.

Sed Homerica carmina germana quin notitiam Thesei habuerint ullam dubitari nequit [132]). Alter enim locus, qui hujus herois mentionem facit (Il. I, 265) a veteribus criticis ipsis in adulterinorum numerum relatus est [133]).

His igitur versibus, qui sine ulla difficultate tolli possunt atque omitti, germana libri nostri forma obvoluta atque

---

[132]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 356 sq. L. Stephani. l. l. p. 6 sq.

[133]) cf. Wolf. Prolegg. p. XXVII. Ev. Wassenbergh. Homeri Il. lb. I et II. Franequer. 1783. not. p. 41 sq.

Neque vero solum Theseum Homerus ignorat, sed etiam perexiguam fabularum Atticarum notitiam videtur habuisse. Nam plurimos locos, qui rerum Atticarum mentionem faciunt aut veteres grammatici inter spurios numerarunt aut nosmetipsi ab Homero jure videmur abjudicare. cf. Il. II, 546 sqq. (Diogen. Laert. I, 57. Aristot. Rhet. I. 15, 13. Strab. IX. p. 394. Plutarch. Solon. 10. Eustath. et Schol. Leid. ad Il. II. 558. Herodot. Vit. Hom. cp. 28. Welcker. Episch. Cycl. p. 378 sq.) Il. III, 144 (Plutarch. Thes. cp. 21 et Schol. Venet. ad v. l.) Od. VII, 80 (Schol. Harl. et Pal. ad h. v.). —

De Attica interpolatione cf. Mueller. Homer. Vorsch. ed. II. p. 77 sqq. Nitzsch. indagandae per Homeri Odysseam interpolationis praep. P. I. Hannov. 1828. p. 28 sqq. Anmerk. zur Odyss. Vol. III. p. 254. 356 sqq. Ritschl, die Alexandr. Bibl. p. 45 sq. 66. Duentzer, Homer und der epische Cyclus. Coeln. 1839. p. 25 sqq. Zeitschr. f. Alterthumsw. 1837. p. 269 sqq.

corrupta videtur [134]). Atqui cum eodem interpolationum nomine eos locos complecti possimus [135]), qui quamvis aliis aliarum rhapsodiarum versibus iisque germanis repugnent, tamen neque deleri ex Homero neque pro suppositiis haberi queant: tales libri nostri versus ut accuratius considerentur expostulant et Νεκυίαν carmen aliquando a ceterorum familia sejunctum fuisse demonstrant. Nam interpolationes illae ita comparatae sunt, ut, cum neque sine narrationis perpetuae detrimento removeri neque uni eidemque poetae tribui possint, in eam nos necessario sententiam adducant, ut librum undecimum alius auctoris esse quam decimum et duodecimum arbitremur. Quam sententiam capite quarto probare conabor.

Cap. IV.

NEKTIAN CARMEN ALIQUANDO SINGULARE FUISSE DEMONSTRATUR.

τίς τ᾽ ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Il. 1, 8.

Etsi libro Odysseae undecimo multas interpolationes contineri tales apertum sit, quales in Iliade Lachmannum dixi et Hermannum esse perscrutatos: tamen quicunque in illum librum pervestigandum incubuerunt, magnam videntur discrepantiam, quae inter Νεκυίαν ceterasque Odysseae rhapsodias intercedit, vel plane transiisse, vel leviter attigisse. Quam repugnantiam eo majoris momenti habendam esse censeo,

---

[134]) Praeterea v. 157-159, 315 sq., 519-522 (cf. Ad. Hermann. l. l. p. 15), 525, interpolatos esse censeo; quos tamen hoc loco a me tractari non attinet. — De v. 6-8 et 22 cf. infra Cap. IV. s. f.

[135]) cf. supra p. 8.

quo plura argumenta ab ipsis auctoribus antiquis tradita et Iliadem et Odysseam ex singulis quibusdam populi carminibus conflatam esse demonstrent. Neque vero, ut nostrum librum tale carmen fuisse singulare probem, illa argumenta in auxilium vocabo, quamvis in Aeliani verbis, qui singulas quasdam Homericorum carminum partes earumque in numero Νεκυίαν separatim aliquando decantatas esse tradat, haud parvum sententiae meae subsidium positum esse videatur[136]. Nam accuratius singulas Odysseae partes, si unum unius poetae carmen fuisset, cohaerere necesse erat, quam quae sic dirimeretur, ut singula ejus frusta per se intelligi et explere auditorum exspectationem possent. Sed his argumentis praetermissis ea consideremus, quae ex ipso Homero petita multo plus conferant ad sententiam meam probandam.

Ac primum quidem de consilio et ratione itineris quaeramus, quod ad inferos Ulixes suscipiebat. Cujus itineris causam in Tiresia interrogando positam fuisse liber decimus et undecimus tradunt. Nam matri, quae, cur in Orcum venisset, ex filio quaesivisset, hic respondet v. 164 sq:

> μῆτερ ἐμή, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο
> ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο.

Neque differre videntur Circae verba, quibus Ulixem alloquitur X, 488 sqq:

> Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
> μηκέτι νῦν ἀέκοντες ἐμῷ ἐνὶ μίμνετε οἴκῳ,

---

[136]) Aelian. V. H. XIII, 14: "Ὅτι τὰ Ὁμήρου ἔπη πρότερον διῃρημένα ᾖδον οἱ παλαιοί. Οἷον ἔλεγον Τὴν ἐπὶ ναυσὶ μάχην, καὶ Δολωνίαν τινά, καὶ Ἀριστείαν Ἀγαμέμνονος, καὶ Νεῶν κατάλογον, καὶ Πατρόκλειαν, καὶ Λύτρα καὶ Ἐπὶ Πατρόκλῳ ἆθλα καὶ Ὁρκίων ἀφάνισιν. Ταῦτα ὑπὲρ τῆς Ἰλιάδος. Ὑπὲρ δὲ τῆς ἑτέρας· Τὰ ἐν Πύλῳ καὶ τὰ ἐν Λακεδαίμονι καὶ Καλυψοῦς ἄντρον καὶ τὰ περὶ τὴν σχεδίαν, Ἀλκίνου ἀπολόγους, Κυκλωπίαν καὶ Νεκυίαν καὶ τὰ τῆς Κίρκης, Νίπτρα, Μνηστήρων φόνον, Τὰ ἐν ἀγρῷ, Τὰ ἐν Λαέρτου." — cf. Dugas-Montbel, histoire des poésies Homériques. Paris. 1831. p. 13 sqq.

> ἀλλ' ἄλλην χρὴ πρῶτον ὁδὸν τελέσαι καὶ ἱκέσθαι
> εἰς Ἀΐδαο δόμους καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης,
> ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο.

et v. 539 sq.:

> ὅς [Τειρ.] κέν τοι εἴπῃσιν ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου
> νόστον θ', ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα.

At magna exoritur discrepantia si cum hac itineris causa hocque consilio ea comparaveris, quae libro undecimo duodecimoque enarrantur. Causa enim consilii, quo Circa, ut ad inferos proficisceretur, Ulixi demandarat, nulla alia esse poterat, quam quod Ulixem de reditu instituі utique opus esset. Quem si dea ipsa hac de re certiorem facere potuisset, horribile illud iter non fuisset suscipiendum. Quod si ita est, necessario inde consequitur, ut a nullo potuerit de reditu Ulixes edoceri, nisi a Tiresia. Atqui quae ad reditum pertinent, pauca tantum Tiresias, Circa tam multa refert, ut quae sequatur narratio plane diversa sit ab ea, quam exspectaverimus. Etsi enim Tiresiae vaticinium sit haud exigui momenti, multo tamen minoris habendum est ea explicatione, qua singula itineris pericula Circa aperit. Atque miratio nos subit etiam major, cum Circam videamus periculum in insula Trinacia Ulixi minitans non solum magna ex parte iisdem, quibus Tiresiam antea, verbis, sed etiam accuratius uberiusque commemorare [137]). Quae duplex ejusdem rei narratio cum per se mira est, tum offensionem habet maximam, quod eorum, quae Tiresias Ulixem doceat, summam in illa periculi in Trinacia subeundi commemoratione versari non posse demonstrat. Quid igitur restat in illo vaticinio, quod ad *ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου νόστον τε* referre queas? Circae quidem narratio si Tiresiae esset, recte omnia sese haberent neque quemquam offenderent. In illa

---

[137]) XII. 127 sqq.

autem carminis forma difficultas inest ac discrepantia, quae librum undecimum non ab eo auctore, qui librum et antecedentem et subsequentem composuerit, profectum esse demonstrent. Cujus difficultatis ac discrepantiae partem non habent verba Ulixis (XI, 164 sq.):

μῆτερ ἐμή, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο
ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο.

quorum longe alia sit ratio.

Etenim consideranti mihi, qui tolli repugnantia illa possit, liber duodecimus cum libro decimo accurate cohaerere visus est. Nam totam de Circa narrationem, qualem nunc habemus, ita principio conformatam fuisse arbitror, ut Ulixem eo ipso tempore, quo dimissionem a Circa quaereret, de reditu periculisque, quae in itinere ipsi imminerent, a dea certiorem factum describeret. Etenim cum singula, quibus Ulixis fabula celebrabatur, carmina in unum aliquod poema coalescere inciperent[138]), librum undecimum probabile est inter librum decimum et duodecimum positum esse, quod nullus alius locus huic carmini aeque aptus videretur. Qua conjunctione diremta et difficultates illae omnes, quibus haec narrationis forma involuta est, dissolvuntur, et Ulixis illa verba:

μῆτερ ἐμή, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο
ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο.

---

[138]) Quod maxime factum videtur Solonis illo edicto, quo *τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψωδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον* (Diog. Laert. I, 57). Nam rhapsodi, qui secundum rerum gestarum ordinem h. e. externa quadam conjunctione singulas et Iliadis et Odysseae partes, quarum unaquaeque ad illud usque tempus singulare aliquod carmen constituerat, recitare cogerentur, etiam intestinae utriusque carminis conjunctioni versibus aliquot interpolatis videntur consuluisse. — In verbis autem *ἐξ ὑποβολῆς* interpretandis plane assentior Boeckhio V. Cl. cf. ejus Ind. lect. Berolin. 1834. Corp. Inscr. Vol. II. p. 675-678. Wolf. Prolegg. p. CXL. not. 4.

οὐ γάρ πω σχεδὸν ἦλθον Ἀχαιΐδος οὐδέ πω ἁμῆς
γῆς ἐπέβην, ἀλλ' αἰὲν ἔχων ἀλάλημαι ὀϊζύν.

pulcherrime dicta esse intelligitur. Nam Ulixem multos annos et usque ad ultimas terras pervagatum neque ad quemquam, a quo de itinere patriaque attingenda edoceatur, profectum, quid magis consentaneum est, quam ad tantam desperationem pervenisse tantaque auxilii inopia conflictatum esse, ut, cum summo patriae uxorisque desiderio flagraret, consilium caperet in Orcum descendendi, ubi Tiresiam de reditu percontaretur?

Quod si ita est, ea quae Tiresias dicit, quoniam causam tradunt calamitatis periculorumque, quibuscum Ulixi erat dimicandum, plane exspectationi nostrae satisfaciunt. Ulixis enim, cui Neptunus propter filium obcaecatum irasceretur, permultum intererat de hoc malorum auctore certiorem se fieri, ut a nova ejus violatione sibi caveret. Periculi autem, quod ex bobus in Trinacia insula trucidatis Ulixi immineret vitaeque beatae, quam degere illum reducem vates dixerat, commemorationi quantum tribuendum sit supra explicatum est [139]).

Sed aliud argumentum consideremus, quod Νεκυίαν compositam non esse in ceterorum Odysseae librorum conjunctionem ostendat. Magnum enim videtur discrimen inter inferias praescriptas a Circa et celebratas ab Ulixe intercedere. Quid autem probabilius esse potest, quam caerimonias illas ac ritus, quae tenenda in Orco atque observanda Ulixi praescripta erant, cum magis stabilia fuisse, quippe usu recepta, tum Ulixi, qui salutem et reditum pendere ex iis recte celebrandis videret, graviora, quam a quibus transversum digitum discederet? Neque solet poeta in una eademque re describenda varia uti narratione [140]).

---

[139]) p. 12.
[140]) cf. G. Hermann, de iteratis apud Homerum. p. 6.

Quo igitur majorem nobis existere mirationem necesse est, cum inter praecepta, quae de inferiis Circa dederat, eorumque executionem non aliquam, sed pro hujus rei gravitate permagnam diversitatem intercedere videamus? Qui enim cognoverit, quanta in rebus sacris religione Graeci fuerint, facere non poterit, quin vel minimam rituum in celebrandis inferiis observandorum mutationem illos maximum nefas habituros fuisse intelligat. Quae religio tam propria est naturae humanae, ut apud omnes populos animadverti queat. Ulixem igitur cum in Orco longe aliter agere videamus, quam e Circae mandato eum acturum esse arbitremur: quid reliquum est, nisi ut librum undecimum alius quam librum decimum auctoris esse censeamus? Discrimen autem inter utrumque librum intercedens quo magis appareat, versus utriusque narrationis conjuncte transscribam.

Ib. X, 508 sq. ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ ἂν δὴ νηῒ δι᾽ Ὠκεανοῖο περήσῃς
ἔνθ᾽ —

Ib. XI, 13 sq. ἡ δ᾽ ἐς πείραθ᾽ ἵκανε βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο
ἔνθα —

Ib. X, 509 sq. — ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης
μακραί τ᾽ αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Ib. XI, 14 sqq. — δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
οὔθ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
οὔθ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προτράπηται·
ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Ib. X, 511 sqq. νῆα μὲν αὐτοῦ κέλσαι ἐπ᾽ Ὠκεανῷ βαθυδίνῃ,
αὐτὸς δ᾽ εἰς Ἀΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα
ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσιν
Κώκυτός θ᾽, ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ·
πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων·

Ib. XI, 20 sqq. νῆα μὲν ἔνθ' ἐλθόντες ἐκέλσαμεν· ἐκ δὲ τὰ μῆλα
εἱλόμεθ'· αὐτοὶ δ' αὖτε παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο
ἤομεν, ὄφρ' ἐς χῶρον ἀφικόμεθ', ὃν φράσε Κίρκη.
Ib. X, 516. ἔνθα δ' ἔπειθ', ἥρως, χριμφθεὶς πέλας, ὥς σε κελεύω,
βόθρον ὀρύξαι κτλ. — v. 525.
Ib. XI, 23. ἔνθ' ἱερήϊα μὲν Περιμήδης Εὐρύλοχός τε
ἔσχον· ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
βόθρον ὄρυξ' κτλ. — v. 33.
Ib. X, 526. αὐτὰρ ἐπὴν εὐχῇσι λίσῃ κλυτὰ ἔθνεα νεκρῶν
ἔνθ' ὄϊν ἀρνειὸν ῥέζειν, θῆλύν τε μέλαιναν
εἰς Ἔρεβος στρέψας, αὐτὸς δ' ἀπονόσφι τραπέσθαι
ἱέμενος ποταμοῖο ῥοάων·
Ib. XI, 34. τοὺς δ' ἐπεὶ εὐχωλῇσι λιτῇσί τε ἔθνεα νεκρῶν
ἐλλισάμην, τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα
ἐς βόθρον, ῥέε δ' αἷμα κελαινεφές·
ib. X, 529. — — — — ἔνθα δὲ πολλαὶ
ψυχαὶ ἐλεύσονται νεκύων κατατεθνηώτων.
Ib. XI, 36. — — — — αἱ δ' ἀγέροντο
ψυχαὶ ὑπὲξ Ἐρέβευς νεκύων κατατεθνηώτων
[v. 38—43.]
Ib. X, 531. δὴ τότ' ἔπειθ' κτλ. — 537.
Ib. XI, 44. δὴ τότ' ἔπειθ' κτλ. — 50.

Non accurate utramque narrationem comparari opus est, cum, quam diversa ab altera altera sit, per se luculentissime appareat [141]). Attamen facere non possum, quin moneam

[141]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 171: Die Folge der Handlungen ist hier [X, 526-30] in der Vorschrift der Kirke weniger klar als in der Ausführung des Odysseus." — p. 194: Wenn man die obige Vorschrift der Kirke mit der hier [XI, 23-37] erzählten Ausführung derselben vergleicht, möchte man die Angabe ἀπεδειροτόμησα ἐς βόθρον als dem ἐς Ἔρεβος στρέψας entsprechend nehmen, und sonach

Cimmerios a Circa male praetermissos esse, quorum commemoratio, cum in ipsorum territorio viciniave Orcus situs sit, pernecessaria videtur. Flumina porro, quae Circa commemorat, non parvam nobis interpolationis suspicionem movent. Qua de re cum Nitzschius accuratissime disputaverit[142]), alia proferri non attinet. Neque tamen, quod vir ille doctissimus, ex hac interpolatione idem ego collegerim. Etiamsi enim versum XI, 22. loci aliquam descriptionem a Circa datam postulare apertum sit, non tamen inde sequi existimarim, ut germana illius loci descriptio eâ, quam nunc contineat liber decimus, depulsa sit[143]). Quid enim magis a vero potest abhorrere ea conjectura, qua in locum prioris ejusque clarae ac perspicuae descriptionis, quae etiam cum verbis libri undecimi plane convenisset, hanc posteriorem substitutam esse opinamur? Immo ad discrepantiam illam removendam alia via ineunda est. Iis enim omnibus, quae adhuc disputavimus, reputatis, dubitare non poterimus, quin et Circae illam inferiarum descriptionem suppositam esse, et librum decimum cum duodecimo arctissime cohaesisse, et Νεκυίαν carmen singulare aliquando fuisse censeamus. Qua sententia probata omnes difficultates, quas in illis de inferiis narrationibus inesse videmus, sublatae sunt.

Ad tertium igitur argumentum, quod sententiam meam de Νεκυίᾳ prolatam comprobat, accedamus. Nam cum de eo nequeat dubitari, quin statim principio de bello Trojano Ulixisque erroribus fabulae sic conformatae fuerint, ut denos annos et bellum illud durasse et Ulixes vagatus esse diceretur: vigesimo anno Ulixem in patriam rediisse cum per

---

in Ἔρεβος nur die Erdtiefe als Grube finden. Doch giebt es zwischen der Anweisung und Befolgung immer die Differenz, dafs hier das ἀπονόσφι τραπέσθαι nicht angegeben ist; mit diesem hängt aber jenes ἐς Ἔρ. στρ. genau zusammen." — cf. eund. p. 159.

142) l. l. Vol. III. p. 158 sqq.

143) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 160.

se apparet, tum multis Odysseae locis traditur [144]. Jam vero si quaerimus, quomodo decem illos annos, quos vagatus est, Ulixes consumpserit, eadem Odyssea hac de re accurate edocemur. Etenim Ulixem, cum ipse septem annos apud Calypsonem dicat se contrivisse [145], annos ad summum tres antea vagatum esse apparet. Atqui cum in Orcum Ulixes jam ante illam in Ogygia commorationem se contulerit, inde ab ejus ex Ithaca discessu usque ad iter illud ad inferos susceptum tredecim anni praeterlapsi sunt. Unde Telemachum, qui, cum pater ex Ithaca discederet, modo natus esset [146], tunc, ubi Ulixes cum matre colloquitur, annum tertium vel quartum decimum egisse consequitur.

At vehementer huic Telemachi aetati verba repugnant Anticleae, quibus Ulixem de filio praediisque certiorem facit (v. 184 sqq.):

σὸν δ' οὔπω τις ἔχει καλὸν γέρας, ἀλλὰ ἕκηλος
Τηλέμαχος τεμένη νέμεται καὶ δαῖτας ἐΐσας
δαίνυται, ἃς ἐπέοικε δικασπόλον ἄνδρ' ἀλεγύνειν·
πάντες γάρ καλέουσιν.

Quae verba priusquam ostendam, quantam difficultatem praebeant interpreti, qui ea velit cum ceterorum librorum notatione temporum conciliare, paullo accuratius explicanda sunt, cum quid significent apud viros doctos nondum constare videatur. Nam hoc saltem ex copiosa illa Nitzschii de hoc loco disputatione [147] intelligitur.

---

144) cf. II, 175. III, 305. XVI, 18. 206. XVII, 327. XIX, 222. cf. I, 11. III, 86. IV, 182. XVI, 18. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 288.

145) Od. VII, 259 sqq.

146) cf. Od. XI, 447 sqq:

ἦ μέν μιν [Πηνελ.] νύμφην γε νέην κατελείπομεν ἡμεῖς
ἐρχόμενοι πόλεμόνδε· πάϊς δέ οἱ ἦν ἐπὶ μαζῷ
νήπιος. —

cf. Od. IV, 112. I, 215.

147) l. l. Vol. III. p. 217 sqq.

Ad verbum *δαίνυται* quod attinet, forma media significationem comprobat epulas convivandi, cibum sumendi. Quae significatio reliquis locis omnibus affirmatur, quibus forma hujus verbi media usurpata est [148]). Forma autem activa quattuor illis, quibus reperitur, locis [149]) epulum praebendi habet notionem. Ergo ad ea convivia, quae Telemacho praebentur, verba *δαῖτας ἐΐσας δαίνυται* referenda sunt. Quam sententiam verba testantur v. 186 sq:

ἃς ἐπέοικε δικασπόλον ἄνδρ' ἀλεγύνειν·
πάντες γὰρ καλέουσιν.

Verbum enim *καλέειν* invitandi significationem habere notissimum est, neque hunc sententiarum nexum *ἀλεγύνειν* videtur perturbare. Nitzschius quidem illud verbum *ἀλεγύνειν* sic tantum usurpari condendit [150]), ut parandi, sibi procurandi notio in eo insit: sed accurata locorum consideratio, quibus verbum illud reperitur, in aliam sententiam nos cogit discedere. Nam quae Od. I, 374 sq. et II, 139 sq. dicta sunt:

ἄλλας δ' ἀλεγύνετε δαῖτας
ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες, ἀμειβόμενοι κατὰ οἴκους.

quidni vertas: epularum aliarum curam habete h. e. aliis epulis intereste? Quam notionem verbo *ἀλεγύνειν* subesse etiam magis apertum fit tertio loco, qui est VIII, 38 (XIII, 22):

αὐτὰρ ἔπειτα θοὴν ἀλεγύνετε δαῖτα
ἡμέτερόνδ' ἐλθόντες.

h. e. deinde vero subitam coenam sumite (seht euch nach einem schnellen Mahle um h. e. eſst geschwinde).

---

[148]) Od. I, 228. 369. II, 247. 311. III, 66. 471. IV, 15. 238. VI, 50. VII, 203. VIII, 243. IX, 162. 557. X, 9. 61. 184. 452. 468. 477. XII, 30. 398, XIII, 26. al. al.

[149]) Il. IX, 70. XXIII, 29. Od. III, 309. IV, 3.

[150]) l. l. Vol. III. p. 218. cf. Vol. I. p. 109.

In verbo igitur *ἀλεγύνειν* curam vides inesse talem, qualis in eo potissimum versetur, ut *ὁ ἀλεγύνων* cibum sibi acquirat sive ut edat. Itaque hoc verbum eodem, quo *μιμνήσκεσθαι*, modo de edendo usurpatur. Ut enim *μιμνήσκεσθαι* non solum memorem esse, sed eam maxime actionem, quae inde efficitur, significat [151]): ita *ἀλεγύνειν* tantum abest, ut meram curam in epulis apparandis positam complectatur, ut cum vocabulo *δαῖτα* conjunctum nullam nisi edendi notionem habeat.

Quod si ita est, omnia clara sunt ac perspicua. Haec enim existit illorum versuum sententia: quietus Telemachus agros administrat et justas epulas, quibus par est principem (regem) interesse, epulatur; omnes enim eum invitant. Ad quam interpretationem defendendam haec monenda videntur. Primum enim verba *τέμενη νέμεται* nihil aliud posse significare quam „agros administrat" inde intelligitur, quod Laertes, cujus unius, cum Penelopa, quippe mulier, Ulixis bona administrare non posset, agrorum procuratio fuisset, filii absentis dolore confectus ruri vitam degere perhibeatur. Quod, nisi Telemachus *κύριος* fuisset, poeta omnino non dixisset. Verba dein *δικασπόλον ἄνδρα* sum interpretatus „principem s. regem", quod omnis jurisdictio heroicis quidem temporibus apud reges potissimum fuisse constat [152]).

---

[151]) *μιμνήσκεσθαι: δαιτὸς* (Od. XX, 246.) *δόρπου* (Od. IV, 213. Il. XXIV, 601.) *σίτου* (Il. XXIV, 129. 602.) *θούριδος ἀλκῆς* (Il. XI, 287. al. al.) *εὐνῆς* (Il. XXIV, 130.) — *δόρπου μνῆστις ἔην* (Od. XIII, 280.) — *μέδεσθαι: δόρποιο* (Il. XVIII, 245. XXIV, 2.) *δείπνοιο* (Od. XIX, 321.) *σίτου* (Il. XXIV, 618 sq.) *θούριδος ἀλκῆς* (Il. IV, 418. V, 718. al.) *νόστοιο* (Il. IX, 622. Od. XI, 110. XII, 137) *κοίτου* (Od. II, 358. III, 334.) *πολέμοιο* (Il. II, 384. IX, 650.) al. al.

[152]) cf. Il. I, 238. Hymn. in Cer. 103. 473. Ed. Platner, notiones juris et justitiae ex Homeri et Hesiodi carminibus explicitae. Marburg. 1819. p. 92. 96. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 219 sq.

Ex mea igitur eaque vera, quantum video, totius loci interpretatione [152a]), Telemachum habes et praedia regia administrantem et regis muneribus officiisque fungentem. Atque eos ipsos viros, qui in versibus illis explicandis aliqua ex parte a me dissentiunt, fere eundem sibi, quem equidem, Telemachum fingere video [153]), ita ut dubitari nequeat, quin Νεκυίας poeta Ulixis filium talem describere voluerit, qualem modo adumbravimus. Atqui cum eo tempore, quo apud inferos Ulixes versabatur, Telemachum neque ex pueris excessisse, quippe qui quattuordecim ad summum annos natus esset [154]), neque ullam regiae potestatis partem suscepisse manifestum sit [155]): discrepantia inter librum undecimum ceterosque intercedit, quae tolli nequeat nisi singulare carmen aliquando Νεκυίαν fuisse concesseris.

Quamquam quaeris fortasse, num licitum sit ex paucis verbis tantam facere conclusionem, et ad eos te applicas, qui, cum interpretando conciliari cum reliqua Odysseae χρονολογίᾳ verba illa Anticleae nequeant, ad conjecturam fugiendum esse opinentur [156]). At conjectura quominus discrepantiam illam tollere studeamus, cum alia argumenta impediunt, tum haec Agamemnonis verba (v. 447 sqq.):

[152a]) cf. O. Mueller, Dor. II. p. 105. not. 5. Chr. Koch, loca quaedam Homeri e Tacito illustrata. Marburg. 1819. 4. Cap. I. et Fr. Passowii censuram illius libri Jen. Lit. Zeit. 1820. Ergänzungsbl. no. 88. p. 313 sq.

[153]) Platner. l. l. p. 92. 103. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 217 sqq.

[154]) cf. supra p. 62 sq.

[155]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 218: In Ithaka war jedenfalls eine Zeit des Interregnum. Telemach ist noch nicht wirklich König (I, 386 sq. 392-94. [XV, 534 sq.]) und verrichtet zur Zeit auch nicht anstatt des Vaters das was des Königs ist." —

[156]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 220.

ἦ μέν μιν [Πηνελ.] νύμφην γε νέην κατελείπομεν ἡμεῖς
ἐρχόμενοι πόλεμόνδε· παῖς δέ οἱ ἦν ἐπὶ μαζῷ
νήπιος, ὅς που νῦν γε μετ᾽ ἀνδρῶν ἵζει ἀριθμῷ.

quibus se eandem, quam Anticleam, temporis rationem sequi ostendit. Quae Agamemnonis verba cum, eorum quae antea Ulixis mater dixerat ratione habita, alicui veritatis superlationi tribui nequeant [157]): quid tandem reliquum est, nisi ut ex libri undecimi auctoris sententia iter illud ad inferos non septem annos ante Ulixis in Ithacam reditum susceptum esse opinemur?

Jam vero si a ceterorum librorum conjunctione nostrum librum separaveris, atque alio tempore iter illud factum esse statueris, nihil verba neque Anticleae neque Agamemnonis, quo offendant, habebunt. Quid? anno septimo post Trojam captam cum Ulixem in Orco fuisse sumimus, non solum ambo illi, quos modo tractavimus, loci bene sese habent, sed etiam me recte de illius itineris causa disputasse [158]) apparet. Nam si illo tempore Ulixes ad inferos profectus est, Telemachus, quippe annos natus duodeviginti, sane dici poterat et *δικασπόλου ἀνδρὸς* muneribus functus esse et praedia regia patrisque bona administrasse.

Dixerit quidem aliquis meae de tempore, quo Ulixes in Orcum descenderit, sententiae vocabulum *ὀψὲ* (v. 114) refragari, ut quo ad spatium trium annorum significandum male poeta usus sit. Sed notionem illius verbi, quod et spatium paucarum horarum et complurium annorum complecti possit, per se incertam esse atque vagam apertum est. Itaque is demum de recto vocabuli *ὀψὲ* usu judicare poterit, qui ejus spatii, ad quod vocabulum illud referendum est, rationem habuerit. Quid vero obstat, quominus Ulixem, si nefas illud in insula Trinacia commissum non

---

[157]) cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 275.

[158]) Supra p. 58 sq.

fuisset, duobus mensibus vel tribus post illud cum Tiresia colloquium rediturum fuisse arbitremur? Cui trium mensium spatio si tres illos annos comparaveris, quin ὀψὲ Ulixem ad patriam reversurum fuisse dicas, non dubitabis.

Librum igitur Odysseae undecimum separatim esse factum ex iis, quae hactenus tractavi, argumentis constare videtur. Reliquum est, ut, quae prima fuerit eademque germana hujus libri forma, breviter exponam. Prima autem carminis alicujus singularis forma aut tantopere immutata esse, ut restitui prorsus nequeat, aut tot ac tantis accessionibus obtecta esse potest, ut ad eas removendas oculis opus sit acutissimis. Nam cum carmina Homerica separatim facta in unum aliquod poema sensim connecterentur, nihil potest veri esse similius, quam sive rhapsodos sive eos, qui illa carmina disponerent, de duritia, asperitate, repugnantia, quas existere ex illa conjunctione necesse erat, amovendis summo esse studio annixos. Quare ne tum quidem sententia mea quidquam detrimenti caperet, cum omnes loci, qui aliorum librorum rationem habent, cum reliqua Νεκυίας parte arctius cohaererent, quam qui tolli inde sine incommodo possent. Quamquam et germana forma Νεκυίας restitui, et versus ejus alios libros respicientes convelli facile queunt. Quid enim impedit, quominus versum sextum, septimum, octavum ejiciamus? Elpenoris descriptionem diasceuastae esse supra copiose explicatum est, et Ulixis cum Phaeacibus colloquium ne ii quidem germanum habuerunt, quorum sententiae, qua Odysseam unum unius poetae carmen perhibent, illius loci integritas magnum firmamentum attulisset. Versum quidem vigesimum secundum

ἤομεν, ὄφρ᾽ ἐς χῶρον ἀφικόμεθ᾽, ὃν φράσε Κίρκη.

etsi non sic possumus omittere, tamen, cum flumina a Circa commemorata respiciat, ex interpolatione oriundus videtur[149]).

---

[149]) cf. p. 62.

Sed alia quoque ratione, si cui tantopere Νεκυίᾳ inhaerere v. 22 videatur, ut sine incommodo convelli nequeat, cum mea de toto libro undecimo sententia et vv. 6-8 et v. 22 possum conciliare. Nam cum de Ulixis erroribus fabulam iis carminibus, quae nunc Odysseam efficiunt, neque ortam neque primum celebratam esse apertum sit: quid obstat, quominus Νεκυίας poetam, sive primus Ulixem ad inferos proficiscentem descripsit, sive ille in Orcum descensus jam antea notus fuit, ab Aeaea Ulixem navigantem ad Tiresiam sibi finxisse censeamus? Atque ne hoc quidem ab illo poeta esse inventum necesse est, sed ex antiquioribus aut carminibus aut populi narrationibus desumptum esse potest. Quod etsi contenderim, tamen undecimae rhapsodiae auctorem ejus fabulae formae, quam lb. X et XII praebeant, ullam notitiam habuisse prorsus nego. Nostri enim libri poeta ab Aeaea quidem Ulixem, sed sponte in Orcum, quamvis instructum a Circa, profectum esse sibi finxit. Nam Ulixes, cur in Orcum venisset, a matre interrogatus, si Circae jussu adesset, hanc rem commemorasset neque sola necessitudine coactum se ad inferos profectum esse dixisset.

Quomodocunque autem res sese habet, neque Νεκυίας poetam libri decimi et duodecimi, neque horum librorum auctorem (sive auctores), quippe qui a Circa Ulixem de periculis in reditu subeundis edoctum descripserit, Ulixis ad Orcum profecti ullam notitiam habuisse constat [160]). Unde sequitur, ut iis saltem temporibus, quibus carmen τὰ τῆς Κύπ-

---

[160]) Quomodo hiatum, quem exoriri libro undecimo a veterorum familia segregato necesse est, tollamus meum non est hoc loco explicare. Id tantum moneatur, et in fine lb. X et initio lb. XII facile diasceuastarum manus posse agnosci. Nam iis versibus, qui Νεκυίας rationem habent, una cum hac ejectis tria convivia sese deinceps excipiunt. cf. X, 466 sqq. 475 sqq. XII, 28 sqq. cf. supra p. 19.

κης celebrans componeretur, fabula, quae libro XI. contineatur, nisi certis quibusdam Graeciae locis cognita non fuerit.

Cap. V.

PAUCA QUAEDAM DE ΝΕΚΥΙΑΣ PATRIA PROFERUNTUR.

τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;
Od. X, 325.

Cum Νεκυίαν carmen separatim factum et Ulixis in Orcum descensum non nisi certis aliquibus Graeciae locis cognitum fuisse intelligerem: quo loco carmen illud ortum esset, quantum fieri posset, investigare operae pretium arbitrabar. Etsi enim jam antiquissimis temporibus in patria Homeri investiganda studium idque multo prius positum sit, quam in critica Iliadis Odysseaeque tractatione: tamen ad hunc usque diem nihil, quod certum sit rationibusque firmatum, hac de re comparatum est. Nam quod veteribus illis criticis, qui ei quaestioni operam navarunt, accidisse videmus, id nostris quoque temporibus observari licet, quibus in diversissimas de Homeri patria sententias viri docti abierunt. Quae quidem dissensio, cum in difficultatibus, quibus illa quaestio obvoluta est, posita videretur, ita me perterrebat, ut virium mearum ratione habita animum a proposito plane revocarem. Sed accuratius illarum difficultatum naturam reputanti mihi et fiducia et consilium redierunt. Nam cum in eo omnes consentirent, nisi Homerica carmina nos, quo de ipsorum patria fieremus certiores, nihil habere [161]),

---

[161]) cf. Heyne Il. Tom. VIII. p. 820. 822. Rob. Wood, Versuch über das Originalgenie des Homer, aus dem Engl. (von Michaelis.)

et eum apertissima suae originis indicia prae se ferre Νεκυία videretur: aliquid saltem ad illam de Homeri patria controversiam dirimendam me conferre arbitrabar, si, quae de undecimi Odysseae libri patria sentirem, viris doctis exponerem.

Jam vero cum non ab uno poeta totam Odysseam compositam esse, sed pluribus carminibus constare existimem, haec mea disquisitio nihil aliud persequetur, quam ut hujus unius, de quo disputamus, libri patriam indaget. Homeri igitur patriam nisi Νεκυίας nullam aliam intelligo.

Lachmanni autem et Hermanni de Homero qui sequentur sententiam, ii, quae de illius poetae patria scriptores veteres tradant, tantopere sibi neque torquenda neque negligenda esse intelligent, quantopere iis, qui unum Homerum profiteantur. Fugere enim quemquan nequit conjunctio inter notram de Homero sententiam easque narrationes intercedens, quae tot urbes Homerum suum vindicantes pugnasse inter se atque contendisse referunt. Facile enim percipitur illas urbes Homerum suum esse confirmasse, quod Homerica carmina apud se aut recitarentur pridem aut aliqua saltem ex parte orta essent. Quod cum ita sit, non solum discrepantias, quae in Iliade et Odyssea insunt, sententia nostra tollit, sed etiam cum iis, quae de poetarum principis patria traduntur, optime congruit.

Versabitur autem haec quaestio in eo, ut, de patria sua quae Νεκυία ipsa prodat, exponantur. Neque melius haec disputatio institui poterit, quam si viam, qua illius rhapsodiae patriam indagarim, describam.

Frkf. a. M. 1773. p. 32 sqq. Zusätze zu Rob Wood cet. ibid. 1778. p. 48. Jac. Bryant, Abhandlung vom troj. Kriege aus d. Engl. von G. H. Nöhden. Braunschweig. 1797. 8. Payne-Knight. l. l. p. 15. — B. Thiersch, Ueber das Zeitalter und Vaterland des Homer cet. ed II. Halberst. 1832. p. 65 sqq.

Duae imprimis res, quo loco carmen illud ortum esset, aperire posse videbantur, materia Νεκυίας et forma. Atque materia quidem, quod poetam, qui, ut delectationem auditoribus afferret, maxime spectaret, eas potissimum personas, quae illis et notae essent et gratae, carmine suo descripsisse probabile est[162]). Quod cum in omnia carmina tum in ea cadere videtur, quae non heroum res gestas referunt, sed fabulas eorum non nisi strictim attingunt. Nam res, quae describuntur, tantam per se ipsas delectationem habere possunt, ut non a quibus gestae sint, sed quomodo consideres. Mera autem personarum enumeratio iis tantum auditoribus grata esse acceptaque potest, quibus non modo cognitae illae sunt, verum etiam populares. Quod de auditoribus, idem de poeta valet.

Atque quo longius in consideranda Graecae poesis historia recedimus, eo plures poetas in patriis fabulis tractandis fere solis occupatos invenimus. Neque hoc mirum. Nam antiquissimis temporibus cum neque singulae Graeciae civitates arctius inter se essent conjunctae, neque unius stirpis fabulae poetarum carminibus celebratae ceteris omnibus tam notae essent, ut non aliter quam patriae haberentur: et singulae civitates suam proprietatem magis, quam postea fieri poterat, retinebant, et poetae carminum materiam ex suae ipsius gentis fabulis petebant.

Quo erga patrias fabulas amore et auditorum et poetarum factum est, ut tot versus in Homeri carmina interponerentur, qui patrias diasceuastarum fabulas tractant[163]). Neque alia ratione Stesander Samius, qui πρώτος ἐν Δελφοῖς κιθαρῳδῆσαι τὰς καθ' Ὅμηρον μάχας dicitur, commotus est, ut ab Odyssea recitandi exordium caperet[164]). Nam Ulixis

---

[162]) cf. Nitzsch. Meletem. I. p. 126.

[163]) cf. supra p. 9 (not. 17). 43 sq. 53 sq.

[164]) cf. Athen. XIV. p. 638. A. B.

fabula propius; quam Achillis, ad Delphos pertinebat. Clisthenes 'ῥαψωδοὺς ἔπαυσε ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι τῶν Ὁμηρείων ἐπέων εἵνεκα, ὅτι Ἀργεῖοί τε καὶ Ἄργος τὰ πολλὰ πάντα ὑμνέαται [165]). „Sed iidem, quos Clisthenes Sicyone amplius audiri noluit, invisa illi carmina domi sine dubio magis etiam celebrarunt. Sequamur fugatos domum redeuntes. Ibi in Argolide, nisi omnia fallunt, Homeri laudatores imprimis veteres deprehendimus. Nam si indicia quaerimus, quae Homeri poesin post Lycurgum in Peloponneso notam fuisse prodant, inter cyclicos priores Hagiam Troezenium invenimus, qui omissis erroribus Ulixis Atridarum jurgia et reditus infaustos, Cepharidas Nauplii exsecrationibus et dolis fatales, denique salvum in paucis Diomedem, cui Troezene paruerat, in Nostis cecinit.“ [166]) — Neotichii, Cymae, cujus cum Boeotia conjunctio intima erat, coloni apud se Ἀμφιαράου ἐξέλασιν compositam esse ferebant [167]). Quid? Cinaetho Lacedaemonius, Asius Samius, Eumelus Corinthius, Chersias Orchomenius, qui inter antiquissimos poetas epicos numerantur, nulla alia ratione commoti patrias imprimis fabulas tractaverunt, quam quod et sibi ipsis et iis, in quorum delectationem carmina sua componebant, illae fabulae jucundissimae essent [168]). Pindarus juvenis a Corinna, quod nullas fabulas in carminibus commemorasset, reprehensus hymnum composuit, cujus primi versus fere totam Boeotorum mythologiam complectebantur [169]). Corinnae denique ipsius quae

---

[165]) Herodot. V, 67. cf. Nitzsch. Meletem. I. p. 154 sqq.

[166]) verba sunt Nitzsch. Meletem. I. p. 155.

[167]) Herod. Vit. Hom. cp. 9. Welcker. Episch. Cycl. p. 201 sq. 206. 207 sq.

[168]) cf. O. Mueller, Geschichte der gr. Litteratur. Breslau. 1841. Tom. I. p. 177 sqq. Marckscheffel. Hesiodi, Asii Samii, Cinaethonis al. fragmenta. Lips. 1840. p. 216 sqq. 245 sqq. 259 sqq. 261 sq.

[169]) cf. Frgm. hymn. I. ed. Boeckh.

supersunt fragmenta fere omnia ad feminarum Boeotiarum laudes pertinent.

Materia autem nostri libri etiam alia nos docet. Nam cum quaererem, ubi maxime placere Νεκυία debuerit, ii summam inde delectationem percepisse videbantur, qui et Orcum magnopere venerarentur, et apud se esse ad inferos aditum perhiberent. Neque profecto poeta ad tale carmen componendum adductus fuisset, nisi aut ipse, aut ii, coram quibus ille canebat, tales mortuorum consultationes suis oculis vidissent. Neque ut Tiresiae, cujus consulendi causa horribile illud ad inferos iter Ulixem suscipere oportebat, tantae partes tribuerentur, quantae ceterorum mortuorum nemini, ullam aliam ob causam fieri potuit, nisi quod poeta ejusque auditores arctiore aliquo cum Tiresia vinculo conjuncti essent. Tiresias enim non solum ex omnibus vatibus, verum etiam ex omnibus mortuis solus sapit; unde necessario quodammodo Homerum Tiresiae fuisse popularem colligimus [170]). Quod si ita est, Boeotiam [171]) esse libri Odys-

---

[170]) „Wenn auch Odysseus nur den Teiresias, einen Wahrsager an sich schon, befragen will, so mufs doch wohl das wirkliche Bestehen von Todtenórakeln den Dichter zu der ganzen Idee gebracht haben.“ Voelcker. Allg. Schulz. 1831. II. p. 1166. — „Da wir wissen, dafs es in Boeotien wenigstens Ein Orakel des Teiresias gab, wenn auch nicht mehrere, so kann Homer auf seine Angabe von der jenem auch im Tode gebliebenen Seherkraft vorzüglich durch jenes Orakel gefuhrt worden sein.“ Nitzsch. Anmerk. Vol. III. p. 151. cf. ibid. p. 168 sqq. — „Andrerseits halten wir fest, dafs der Dichter von einem Psychopompeion eine Ueberlieferung gehabt haben müsse. — Beides, dafs die sonstigen Todten des νοῦς gänzlich entbehren, und dafs auch von den verstorbenen Sehern allein dem Teiresias jene Auszeichnung wird, würde sich durch die Annahme gut erklären, dafs Homer von einem Orakel des Teiresias vernommen gehabt habe.“ Nitzsch. ibid. p. 169 sq. cf. ibid. p. 307.

[171]) h. e. ea terra, quae postea Boeotia appellata est. Pari ratione Boeotorum nomine usus sum.

seae undecimi patriam verisimile videtur. Ad eandem sententiam adducemur, si, quaenam Graeciae pars et Plutonem Proserpinamque maxime venerata sit, et plurimas necromantias habuerit [172]), quaesiverimus. Oracula enim Amphiarai Thebis et apud Oropum fuerunt [173]), Tiresiae ad fontem Tilphosam juxta Haliartum et Thebis [174]), Trophonii Lebadeae [175]); Coroneae denique in Orcum introitus esse dicebatur [176]). In Boeotia autem Orci venerationem floruisse etiam Thebae et Orchomenus, illius terrae capita, ostendunt, quae plurimi videntur Plutonem Proserpinamque fecisse. Thebae enim Proserpinae urbs appellantur [177]), et Orchomenus quantopere Orcum venerata sit, Minyae satis probant. Qua de re O. Muellerus haec disputat [178]): Wenn ich die Genealogien der Pylischen Minyer betrachte, so sehe ich wie der Kultus des Hades hineinspielt, dessen Tempel bei

---

[172]) Τὰ γὰρ ἄλλα τι δεῖ λέγειν, ὅπου γε τὴν Βοιωτίαν ἕνεκεν χρηστηρίων πολύφωνον οὖσαν ἐν τοῖς πρὶν χρόνοις νῦν ἐπιλέλοιπε κωμῳδῆ." Porphyr. ap. Euseb. Praep. evang. p. 255. C. (ed. Colon. 1688. fol.) cf. O. Mueller. Orchom. p. 145 sqq.

[173]) cf. infra not. 209. et Stuhr, Religionssysteme der Hellenen. p. 92 sq.

[174]) cf. Strab. IX. p. 411 (= 264). Pausan. VII. 3, 1. IX. 18, 3. Plutarch. de defect. orac. 44. O. Mueller. l. l. p. 47. 72. 148. 223. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 149. 151.

[175]) cf. Herod. VIII, 134. Pausan. IX. 34 sqq Hemsterh. Lucian. Tom. II. p. 411. ed. Bipont. O. Mueller. l. l. p. 150 sqq. 160. Stuhr. l. l. p. 91 sq.

[176]) Pausan. IX, 34, 4.

[177]) apud Schol. Euripid. Phoen. 688. cf. O. Mueller. l. l. p. 217. - Acragas, Aegidarum Thebaicorum colonia, eodem nomine nuncupatur apud Schol. Pind. Ol. II, 16.

[178]) apud Buttmann. Mythologus. Berlin. 1829. Vol. II. p. 215 sq. not. cf. O. Mueller. Prolegg. zu einer wissensch. Mythol. Goetting. 1825. p. 242 sq. 306.

Pylos Triphylakos lag; daher der Gott auch Stadtschirmer ist gegen Herakles; darum ist Persephone, Minyas Tochter, Ahnfrau der Pylischen Koenige [178a]): und wenn andere Klymene für Persephone nennen, oder Pylos Sohn des Orchomenischen Klymenos, so ist dies ganz einerlei. Denn Κλύμενος heifst Hades, nicht blos in einem Epitheton ornans, sondern ganz eigentlich, wie im Hymnus auf die θεοὶ χθόνιοι von Hermione." Cum Muellero sentit Buttmannus, qui dicit [179]): Der Klymenos der Minyschen Mythen oder der Heros dieses Namens ist, wie aus der Analogie erhellt, einerlei mit dem gleichbenamten Gotte, dessen Mythen hier allmählich abgestreift sind. Ebenso ist mit ihrem eigentlichen Namen die Goettin selbst aus diesem Kreise, die Persephone, in einen obern Theil eben dieser Genealogie aus einem verschiedenen Mythos getreten. Hieraus erwächst ein schwacher Lichtfunken für die so zweifelhaft auftretende Klymene, Tochter des Minyas, welche zugleich Grofsmutter des Jason [180]) ist, und also aus irgend einer uns noch dunklen Ursache an der Spitze der Argonauten-Genealogie steht.

178a) cf. Pherecyd. ap. Schol. Od. XI, 281. (Sturz. no. 26. p. 126.)

179) l. l. p. 216.

180) Nomen Jasonis idem est quod Plutonis. Nam Ἰάσων non differt a forma Ἴασος, Ἰάσιος, Ἰασίων. cf. O. Mueller. Orchom. p. 265. Cum Jasione autem s. Plutone Ceres concubuisse dicitur. cf. Od. V, 125 sqq. Hesiod. Theog. 969 sqq. ibiq. Wolf. (qui affert Perizon. Ael. V. H. XIII, 1. Intpp. ad Hygin. Fb. 250.) Stuhr. l. l. p. 290 sq. Simili ratione permutantur Γλαύκων (Plat. Jon. p. 530. Aristot. Rhet. III, 1.) et Γλαῦκος (Schol. Ven. Il. I, 1. XI, 635.); Ἰκάριος (Apollod. I. 9, 5.) et Ἰκαρίων (id. III. 10, 5), Λάμπος (Hom. Il. III, 147) et Λάμπων (Apollod. III. 12, 3), Λύκων, Λύκος et Λύκιος (Ruhnk. ad Rutil. Lup. II, 7. p. 99.), Κάλλιστος et Καλλιστίων, Κυναίθων et Κύναιθος al. al. cf. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 206. — cf. not. 202.

Ohne Zweifel führte Persephone auch den Beinamen, der dem ihres Mannes entsprach, Klymene. Eben so passende Benennungen für dieselbe sind die Formen Periklymene und Eteoclymene[181]), in welche sie sich in der mythischen Genealogie zerspalten hat. — Ich füge hinzu, dafs ohne allen Zweifel eine weitere Umwandlung dieser Geschichte [Herculis cum Plutone pugnae] in dem Neleus liegt, der so offenbar ein Beiname dieses Gottes ist, der als Heros in den Fabelkreis und die Genealegie der Minyer getreten ist; und dessen vornehmster Sohn in den Herakles-Mythos wieder nach dem Namen des Gottes Periklymenos heifst." —

Cum igitur totam Boeotiam et capita ejus imprimis Orci cultu excelluisse viderimus, materia Νεκυίας, quippe quae in Ulixe ad inferos descendente Tiresiamque consulente versetur, tum auditores Boeotos, tum poetam Boeotum indicat. Quam conjecturam nostram accurata earum personarum, quibuscum Ulixes colloquitur, consideratio firmat. Nam omnes illae personae ex Minyarum Thebanorumque fabulis desumptae sunt[182]).

Tiresias enim, qui, ut primus advenit, ita primas partes agit, Thebanus est (v. 90 sqq.).

Tyro, Salmonei filia, Crethei patrui uxor. Quae, cum Enipeum fluvium flagraret, in ejus littore ambulans e Neptuno Enipei formam induente Peliam et Neleum filios suscepit. Cretheo autem Aesonem, Pheretem et Amythaonem genuit (v. 235 — 259). Pertinet sane haec fabula ad Thes-

---

[181]) cf. infra p. 82 sq.

[182]) In singularum personarum enumeratione, quam instituturus sum, eas omittam, quae ex interpolatione oriundae sunt (Elpenorem, Ledam, Phaedram, Procridem, Ariadnam, Minoa, Orionem, Tityum, Tantalum, Sisyphum.). Neque hac in re Anticliae, Agamemnonis, Achillis, Ajacis habenda est ratio, qnippe qui a quovis, cui quidem Ulixis fabula nota erat, commemorari potuerint.

saliam, ubi Salmoneus habitabat[183]) et Enipeus fluebat[184]); sed tota illa Thessaliae pars Minyeia est. Quam rem cum accuratissime O. Muellerus tractarit[185]) me iterum perquirere non opus est; sed Tyrus ejusque liberorum fabulas esse Minyeias demonstrabo. Jolci enim Pelias habitavit, cujus insidiae Aesonem, Jasonis patrem, ut se trucidaret, commovisse dicuntur. Jasonis autem fabula, quam Peliae Aesonisque commemoratio in mentem nobis revocat, earum omnium, quae cum Tyrus nomine cohaerent, celeberrima est[186]) tamque arcte cum Minyis Orchomeniis conjuncta, ut Argonautae ipso Minyarum nomine appellentur. Quod non ea tantum de causa factum est, „quod Minyae ex Orchomeno circa Jolcum consederant, aut quod principes inter Argonautas cum Jasone (si quidem ille ex Clymena, Minyae filia, natus fuit[187]) a Minyae filiabus oriundi erant"[188]), sed quod re vera erant Minyae[189]).

---

[183]) cf. Apollod I. 9, 7. Nitzsch l. l. Vol. I. p. 133.

[184]) cf. Herod. VII, 129. Thucyd. IV, 78. Ovid. Met. VII, 229. Schol. Apollon. Rhod. I, 36. Heyn. Obs. ad Apollod. p. 60. Nitzsch. l. l. Vol. I. p. 133. Vol. III. p. 231. — EnipeumEliadem intelligit O. Mueller. Orchom. p. 371.

[185]) Orchom. p. 133sqq. 141. 161 sqq. 170. 175. 192 sqq. 234 sq. 248 sqq. 258 sqq. cf. Buttmann. l. l. p. 207.

[186]) cf. Od. XII, 69 sqq. Il. VII, 468 sqq. XXI, 41. XXIII, 747.

[187]) cf. O. Mueller. Orchom. p. 257. not. 1.

[188]) „ut Apollon. I, 229 sq. docet, apud cujus Schol. stemma editur Minyae, add. Schol. Pind. Isthm. I, 79. v. Munk. ad Antonin. Lib. XXVI. p. 172. Meziriac. [Commentaires sur les épistres d'Ovide. à la Haye. 1716.] Tom. II. p. 56 sqq. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 43." Heyn. Obss. ad Apollod. p. 73.

[189]) cf. O. Mueller. l. l. p. 261: höchst eigenthümlich sind dem Mythus [von den Argonauten] die Orchomenischen Namen (Tztz. Lycophr. 874. p. 851. ich weifs nicht woher οἱ πλείους ἐξ 'Ορχομενοῦ τοῦ

Quattuor feminae, quae post Tyro nominantur ex Thebanorum fabulis depromptae sunt:

Antiopa, Asopi[190]) filia, Amphionis et Zethi[191]), qui Thebas condiderunt, mater. (v. 260-265).

Alcumena, Amphitryonis uxor, Herculis mater (v. 266-268.).

Megara, Creontis filia, Herculis uxor (v. 269 sq.).

Epicasta, Oedipi mater[192]) (v. 271-280.).

Μινυείου). Ueberhaupt ist es ein Rest alter Sage, dafs es nicht eigentlich die Minyer Thessaliens sind, sondern Orchomenos, der reiche und herrliche Hauptsitz des Stammes, auf welchen die Fahrt der Helden ursprünglich zurückbezogen wird: so dafs auch hier die innigste Verbindung der Orchomenischen Königsburg mit den Kretheiden Thessaliens klar wird." — cf. eund. p. 258 sqq. Buttmann. l. l. p. 203 sqq.

[190]) fluvii apud Thebas. cf. Il. IV, 383. X, 287. Callimach. in Del. 77. ibiq. Spanhem.

[191]) cf. O. Mueller. l. l. p. 230 sq.: ganz besonders merkwürdig scheint mir die Verwandtschaft dieses Geschlechts mit den Minyern. Lykos und [sein Bruder] Nykteus [nach Einigen Vater der Antiope] verlassen Euboea, weil sie durch Phlegyas Mord Blutschuld auf sich geladen haben; sie wohnen zu Hyria, einer unbezweifelt Minyeischen Stadt. Beide, Phlegyas und Amphion, bestürmen den pythischen Tempel und werden dabei erschlagen (Hygin. Fb. 9.). In der Minyas kam die Τιμωρία des Amphion vor (Pausan. IX. 9, 4.). Und endlich ist nach allen diesen Spuren wohl auch zu zweifeln, ob, wenn auch schon die epische Poesie den Dioskuren Amphion von dem Sohne des Jasos, dem mächtig waltenden Koenige der Minyer unterscheidet (Od. XI, 261. 282. vgl. Il. XXIV, 600) doch nicht beide in der ältern Sage zusammenfallen, wie eben in der spätern, die die Orchomenierin Chloris unter den Töchtern des Thebäischen Amphion aufzählt (s. Heyne Apollod. Obss. p. 61. 240.)."

[192]) etiam inter hanc et Minyas aliqua conjunctio intercedit cf. Pherecyd. ap. Schol. Eurip. Phoen. 53. Apollod. III. 5, 8 Pausan. IX. 5, 8. O. Mueller. l. l. p. 191. 208. 226. Nitzsch. l. l Vol. III. p. 237 sq.

Chloris, filia Amphionis Jasidae, ὅς ποτ' ἐν Ὀρχομενῷ Μινυηΐῳ ἶφι ἄνασσεν, natu minima, Neleo [193]), cui nupserat, Nestorem, Chromium, Periclymenum ἀγέρωχον et Pero formosissimam peperit. Quam filiam Neleus nemini se daturum in matrimonium declaravit, nisi qui Iphicli boves ex Thessalia (ibi enim Phylaca urbs sita erat) attulisset. Τὰς δ' οἶος ὑπέσχετο μάντις ἀμύμων ἐξελάαν. Qua in re occupatus cum caperetur, in carcerem conjectus et post annum demum θέσφατα πάντ' εἰπὼν liberatus est. Haec Homerus (v. 281-297); quae ut accuratius intelligantur, pauca quaedam addenda sunt. Tyro Nelei mater patre mortuo apud Deionem patruum, Iphycli avum educata est. Iphyclus Tyrus bona, inter quae etiam boves illae erant, occupavit et diligenter, ne sibi aufferrentur, custodienda curavit. Has igitur boves Neleus repetiit et Melampus, Amythaonis filius, vatesque ille ἀμύμων adduxit [194]). Cujus fabulae pars altera ad Thessaliam atque Minyas, altera vel proxime ad Minyas pertinet. Chloris enim ipsa Orchomenia est, quippe cujus pater Amphion, Minyae nepos, ἐν Ὀρχομενῷ Μινυηΐῳ regnasse dicatur [195]). Orchomenus autem utrum Thessalica an Boeotia intelligatur, nihil fere interest, quoniam utramque urbem una eademque gens incolebat: sed nescio tamen an Boeotia illa urbs a poeta significetur, quam eodem nomine aliis locis (Il. II, 511. IX, 381) appellet. Nitzschius enim, qui Orchomenum in Thessalia sitam intelligi vult et ad suam senten-

---

[193]) Neleus a Pelia pulsus eum Amythaone Jolco exulavit et Messenen adiit, ubi Pylum condidit. cf. v. 257. 281 sqq. Hellanic. ap. Eustath. p. 1454, 30 (no. XII. Sturz.) Pausan. IV. 2, 3. et 36, 1. Apollod. I. 9, 9.

[194]) cf. Pherecyd. ap. Schol. Vulg. Od. XI, 287 (frgm. XXVI. Sturz. p. 124 sqq.) et ad v. 290. Eustath. p. 1685.

[195]) v. 284. cf. not. 191.

tiam probandam praeter duos illos Iliadis locos etiam Hesiod. ap. Pausan. IX. 36, 4. et Thucyd. IV. 76 affert [196]), errasse videtur, quod eos locos omnes ad Boeotium illud oppidum referendos esse apparet [197]).

Periclymenus quoque ad Boeotorum fabulas pertinet, cum ab Hercule occisus esse dicatur [198]). Quam fabulam locum habuisse imprimis in Heracliis recte contenditur [199]).

De **Iphimedia**, Aloei uxore, quae ex Neptuno Otum et Ephialtem, deos ipsos in Olympo aggredi conantes, suscepit, idem, quod de Chloride, dicendum est. Iphimediae enim fabula et Thessalica est et Boeotia. Nam in Thessalia femina illa nata erat [200]), in Boeotia autem Otus et

---

[196]) l. l. Vol. III. p. 240.

[197]) cf. Schol. Vulg. Il. II, 511. Schol. Venet. Nav. Cat. 18. et IX, 381. Theocrit. XVI, 104 sq. Welcker. Episch. Cycl. p. 256. — cf. not. 191.

[198]) cf. Il. XI, 690. Hesiod. ap. Schol. Ven. Il. II, 336 et Schol. Apollon. Rh. I, 156. (frgm. XXX. Goettling. XVI. Marcksch.) Apollod. I. 9, 9. II. 7, 3. Heyn. Obss. p. 61 sq. 187. O. Mueller. Dor. II. p. 479. Welcker. Allgem. Schulzeit. 1831. II. no. 138. p. 1100 sqq. — cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 279. — Periclymeni ἐπίθετον „ἀγέρωχον," quo Hesiodus quoque utitur, ex antiquioribus carminibus receptum videtur.

[199]) ab Heyn. l. l. p. 62.

[200]) Aeolus

Canace. Salmoneus. Deion. Cretheus. (cf. supra p. 77 sq. 80.)

Canace: Triops. Aloeus.

Triops: Iphimedia... (Aloeus)

Iphimedia: Otus. Ephialtes.

Ephialtes Ascram condidisse Musarumque religiones instituisse dicuntur [201]).

Tres illae feminae, quas extremo catalogi loco poeta posuit, dubium esse nequit, quin ad Boeotias fabulas sint referendae.

Maera enim „ἡ Προίτου τοῦ Θερσάνδρου θυγάτηρ καὶ Ἀντείας τῆς Ἀμφιάνακτος ἐγένετο κάλλει διαπρεπεστάτη. Ταύτης ἐρασθεὶς Ζεὺς ἀφικνεῖται ὡς αὐτὴν καὶ λανθάνων διαφθείρει· ἡ δὲ ἔγκυος γενομένη τίκτει Λοκρὸν τὸ ὄνομα παῖδα, ὃς Θήβας μετ' Ἀμφίονος καὶ Ζήθου οἰκίζει." Pherecyd. ap. Schol. Vulg. v.326. (frgm. LXXII. Sturz. p. 207.)

Clymenam Minyeidem esse nomen ipsum ostendit, quod apud Minyas usitatissimum fuit. Clymenus dicitur rex Minyarum, Ergini pater (Apollod. II. 4, 11. Steph. Byz. s. v. Ἀσπληδών. Pind. Ol. IV, 19. Schol. Pind. Ol. IV, 26. 29. 32. Boekh. Expll. p. 145. Heyn. l. l. p. 137. Welcker. Episch. Cycl. p. 256 sq.); Clymenus Ergini filius, Nestoris socer (Od. III, 452., cf. Eustath. 272, 31.ed.Rom.); Clymena Minyae filia, Jasi uxor, Atalantae mater (Apollod. III. 9, 2.); Eteoclymena Minyae et Clytodorae filia (Schol. Apollon. I, 230); Periclymenus nepos Amphionis (cf. supra p. 81); Periclymena Minyae filia, Pheretis uxor, Admeti [202]) mater (Hygin. Fb. XIV. Schol. Apollon. I, 230.) al. al. [203]). Nostram vero

---

[201]) cf. Pausan. IX. 29, 1. Heyn. l. l. p. 42. Boeckh. Expll. Pind. Pyth. IV, 89.

[202]) Ut Clymena Proserpinae ita Admetus Plutonis est cognomen. Quare eadem inter Clymenam et Admetum intercedit condicio, quae inter Clymenam et Jasonem. cf. supra not. 180. De Admeto Plutonis epitheto cf. O. Mueller. Prolegg. z. e. w. Myth. p. 300 sqq. Stuhr. l. l. p. 209 sqq.

[203]) cf. O. Mueller. Orchom. p. 256. Buttmann. l. l. p. 204.

Clymenam Minyae fuisse filiam, Phylaci uxorem, Iphicli matrem, Hesiodus tradit[204]).

Eriphyla denique cum Thebanorum fabulis conjunctissima est[205]). Nam Polynices cum bellum contra Thebas pararet[206]) et Amphiaraum, ut secum proficisceretur, excitaret, Amphiaraus, quod se illo bello periturum sciret, tergiversatus est, neque nisi ab uxore impulsus, quam monili aureo Polynices corruperat[207]), petenti se satisfacturum promisit[208]). Quae quidem Eriphylae et Amphiarai cum Boeotia conjunctio eo etiam fit arctior, quod Amphiarai in Boeotia oraculum fuisse constat[209]).

Reliquum est, ut Herculem commemorem, quocum postremo Ulixes colloquitur. Quem cum Thebanum esse notum sit, totam libri Odysseae undecimi materiam et Minyarum et Thebanorum fabulis constare intelligis, neque profecto, quin Boeotis a Boeotio poeta illud carmen recitatum fuerit, dubitabis.

---

[204]) apud Schol. Vulg. Q. v. 326. cf. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 255.

[205]) Totam de Eriphyla et Amphiarao historiam carmen illud cyclicum videtur continuisse, quod Ἀμφιαράου ἐξέλασις appellabatur et ab Homero ipso inter Boeotos compositum esse dicebatur. cf. supra not. 167. Welcker. Episch. Cycl. p. 200 sqq.

[206]) cf. Il. IV, 376 sqq. Cujus belli fabula etiam Minyas, qui auxilium Thebanis tulissent, commemorabat. cf. Pausan. IX. 9, 1.

[207]) cf. Soph. Electr. 836 sqq. ibiq. Schol. Welcker. Episch. Cycl. p. 201.

[208]) cf. Od. XV, 244 sqq. Schol. ad XI, 326. Apollod. III. 6, 2 et 8. Heyn. Obss. p. 245. 252. Dissen. in Boeckh. Pind. Expll. p. 455 sqq.

[209]) cf. Pausan. I. 34, 2. (IX. 8, 2) Pind. Nem. X, 8. Herod. VIII, 134. Davis. ad Cic. de divin. I, 40. O. Mueller. Orchom. p. 146. 486 sq. Boeckh. Expll. Pind. p. 212 sqq. Dissen ad Pind. Pyth. VIII, 40 et Nem. IX, 25. C. Eckermann, Melampus und sein Geschlecht. Götting. 1840. p. 64 sqq.

Atque in eandem illam sententiam iis argumentis trahimur, quae in forma Νεκυίας posita sunt. Feminarum enim catalogus, qui in nostro libro inest, Boeotorum illam consuetudinem in mentem nobis revocat, qua fabulas ita memoriae tradiderunt, ut non singulas heroum res gestas accurate enarrarent, sed, feminas potissimum, quae heroes insignes peperissent, recensentes, leviter tantum attingerent. Cujus consuetudinis exemplum habemus Hesiodi illud carmen, quod κατάλογοι γυναικῶν vel ἠοῖαι erat inscriptum. Neque solum in catalogis feminarum componendis Boeoti sunt versati, verum omnino etiam catalogos videntur magis, quam alibi factum est, et composuisse et recitasse[210]). Etenim, ne longinqua afferam exempla, cum unum saltem in Homero ipso insit, Navium catalogum (Il. II, 483 sqq.), qui magnam libri Iliadis secundi partem complectitur, nonne a Boeoto aliquo profectum esse apparet? Cujus rei argumenta non inde repeto, quod ille νεῶν κατάλογος etiam Βοιωτία appellatur, sed cum ex tota forma atque compositione, tum ex initio, quod a Boeotorum recensione exorditur. Quae enim alia causa esse poterat, qua illorum versuum poeta, ut initio Boeotos poneret, commoveretur, quam quod ipse Boeotus esset[211])? Formam autem catalogi etsi non eo modo, quo nuper O. Gruppeus[212]) voluit, restituendam esse arbitrer, tamen Boeotium auctorem indicare idem vir recte videtur contendisse.

---

[210]) Qui catalogorum amor in Locros, Boeotorum vicinos, transiisse videtur. cf. O. Mueller, Litt. Gesch. Vol. I. p. 168 sqq. Welcker, in Jahnii Jahrb. f. Philol. u. Paedag. 1829. (Tom. IX. 2.) p. 138 sqq.

[211]) cf. Grotefend, in Ersch. et Gruber. Encyclop. s. v. Homeros. p. 241 sqq.

[212]) Ueber Hesiods Theogonie. Berlin. 1841. p. 254.

Quae cum ita sint, et forma rhapsodiae undecimae et materia tum a Boeoto tum inter Boeotos Νεκυίαν compositam esse probant. Quibus argumentis alia accedunt in locis duobus posita, qui nisi meam de Νεκυίας auctore sententiam amplexus sis, apte intelligi atque explicari nequeunt, Qui enim a Boeoto illum librum profectum esse statuerit, facile comprehendet, qui factum sit, ut Otus et Ephialtes πολὺ κάλλιστοι μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα (v. 310) appellentur. Nam et fratres illi et Orion ad Boeotias fabulas pertinent. Quamquam ne nimis argute hoc rimati esse atque odorati videamur, alterum locum consideremus, qui mira quaedam Agamemnonis cum Ulixe colloquentis verba continet (v. 457 sqq.):

ἀλλ᾽ ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον
εἴ που ἔτι ζώοντος ἀκούετε παιδὸς ἐμεῖο
ἤ που ἐν Ὀρχομενῷ ἢ ἐν Πύλῳ ἠμαθόεντι
ἤ που πὰρ Μενελάῳ ἐνὶ Σπάρτῃ εὐρείῃ;

Quae verba ita intelligenda sunt, ut Agamemnon ex Ulixe quaerat, num quid de Orestis domicilio ac perfugio audiverit aut Orchomeni aut Pyli aut Spartae. Nam O. Muellerum, qui ad v. 459 sq. non verbum ζώοντος, sed ἀκούετε refert [213]), Nitzschius jure refellit [214]). Mirum autem est, quod primo loco Orchomenus, secundo Pylus, Sparta, quae prima nominanda erat, tertio demum loco commemore-

---

213) Orchom. p. 245 sq.: Dafs Nestor, dafs Menelaos Kunde geben sollen von dem Atridenhause, ist nicht zu verwundern, und überdiefs stand Pylos, nach dem Homerischen Hymnos, [in Apollin. v. 396 sqq.?] in frühem Handelsverkehr mit Kreta: aber dafs Orchomenos, ist ganz allein der Voraussetzung zuzuschreiben, dafs dort Zusammenflufs von Fremden vielerlei Kunde zusammenführt."

214) l. l. Vol. III. p. 277 sq.

tur[215]). Cujus quidem ἀπορίας a se primo notatae Nitzschius hanc λύσιν proposuit[216]: Jenes in Orchomenos oder in Pylos mufs wohl ein Gegensatz allgemeinern Sinnes sein, oder gar etwa eine sprüchwörtliche Bezeichnung. Agamemnon meint wohl: Sei es etwa im Norden (im Minyeischen Orchomenos) oder im Süden (im Messenischen Pylos), oder im besten Falle beim Menelaos in Sparta. In ein solches Verhältnifs mufs das lezte Satzglied vom Menelaos nothwendig kommen." Sed in Nitzschii interpretatione acquiescere nequeo. Illud sane et Muellerus et Nitzschius recte perspexerunt, Orchomenum Minyeïam esse intelligendam (v. 459), sed tota tamen illorum versuum difficultas alia mihi ratione tollenda videtur. Nam cum Νεκυίας materia et forma Boeotium illius rhapsodiae auctorem indicaret, inde mira Agamemnonis verba explicari posse facile perspiciebam. Qui enim factum sit, ut Orchomenus primo loco nominaretur, Pylus secundo[217]), Sparta tertio demum, is statim comprehendet, qui meam de Νεκυίας origine sententiam probaverit.

Quibus expositis librum Odysseae undecimum a Boeoto aliquo confectum esse apparebit. Nam argumenta adhuc prolata videntur esse ea, quibus in singulorum Homeri carminum patria investiganda majora afferri non possint. Tota enim illa quaestio in eo magis, quod probabile est, quam in vero ipso versetur necesse est. Quare cum in Boeotia sive inter Boeotos compositam esse Νεκυίαν probabile sit, ne quid deesse huic disputationi videatur, quid Boeotorum Ulixis fabulam apud se celebrari interfuerit quaeramus locumque investigemus, quo recitari Νεκυία potuerit.

---

[215]) cf. Niszsch. l. l. Vol. III. p. 278.

[216]) l. l. Vol. III. p. 278 sq.

[217]) cf. supra p. 80. Nitzsch. l. l. Vol. III. p. 279.

Inter Boeotiam autem et Ithacam societatem commerciumque fuisse narratio prodit, qua Alalcomenae, Ithacae aut Asteridis, insulae proxime Ithacam, oppidum ab illa Boeotiae urbe oriundae dicuntur[218]). Huc quoque referenda sunt, quae Ulixem Alalcomenis Boeoticis ab Anticlea expositum esse produnt[218a]). Nomen quoque Cephallenum, qui Ulixi subditi erant[219]), ad Boeotiam spectat. Deducitur enim a Cephalo, Deionis filio, qui Thebis habitabat et Cephallenum insulas ab Amphitryone, quem bellum gerentem adjuvisset, dono accipiebat[220]). Subjectae igitur illae insulae erant jam Amphitryonis, Thebanorum principis, imperio. Atque fuerunt, qui ab hoc Cephalo Ulixem oriundum esse dicerent[221]). Quin etiam in ipsa Boeotia Ulixes natus esse perhibetur[222]). Quae cum ita sese habeant etiam propius ad Boeotos pertinuisse Ulixis fabulam intelligitur.

---

[218]) cf. Plutarch. Quaest. Gr. 43. p. 402. ed. Hutt. Apollodor. ap. Strab. X. p. 457 A. (ap. Heyn. p. 424) ibq. Tzschuck. p. 92. O. Mueller. Orch. p. 213: wichtiger ist, dafs das Heiligthum [der Athene bei Alalcomenae] am Triton liegt, und von hier Athena Tritonis genannt wird, ein Name der in den Minyeischen Sagen und Zügen wiederspielt: wichtig ist auch die Sage, dafs Odysseus, der Schützling der Pallas, von hier aus den Namen, als seine Metropole, auf den Hauptort Ithacas übertragen habe." — cf. O. Mueller. Prolegg. p. 362. Kruse. Hellas. II. 2. p. 415 sq. Voelcker. Homer. Geogr. p. 71.

[218a]) cf. Schol. Hom. Il. XXIII, 783. ὁ δὲ Ἴστρος ἐκτεθῆναι ὑπὸ Ἀντικλείας Ὀδυσσέα φησὶν ἐν Ἀλαλκομεναῖς τῆς Βοιωτίας, ᾗ ἐστιν ἱερὰ Ἀθηνᾶς.

[219]) cf. Il. II, 631. Od. XX, 210. XXIV, 354. 377. 428.

[220]) cf. Schol. Venet. Nav. Cat. 138. Apollod. II. 4, 7. Strab. p. 454. Kruse. Hellas. II. 2. p. 275 sqq.

[221]) cf. Eustath. p. 1396, 5. cf. p. 307, 4. 308, 13.

[222]) cf. Lycophron. Cass. 786 ibiq. Tzetz. et Schol. Bachm.

Multis autem poetis epicis cum Boeotia excelluerit, multis locis et urbibus Νεκυία orta esse potest. Sed ut tota hujus carminis et materia et forma ad Orchomenios Thebanosque spectat, ita apud alteros utros carmen illud compositum esse veri est simillimum. Atque eodem nostrae rhapsodiae originem nos jubent referre dies illi festi ad deos celebrandos instituti, quibus utraque urbs excellebat. Charitesiis enim Orchomeni celebratis poetarum certamina instituta fuisse cum ex communi illo Graecorum more, tum ex disertis, quae hac de re exstant, testimoniis apertum est. Sicut Hesiodus cum Orchomeno tam conjunctus fuit, ut dubitari, quin ibi et recitarit carmina et cum aliis poetis epicis certarit, nequeat. Thebis autem Homerica carmina cognita fuisse inde cernitur, quod Homerum eo venisse et Croniis carmina recitasse traditum est [221]).

His igitur argumentis, ut sive a Boeoto, sive inter Boeotos Νεκυίαν compositam esse ducam, commoveor. Qua in re spero fore ut, si aut minus accurate atque enucleate disputarim, aut probabiliora saepenumero quam veriora protulerim, ne mihi in virorum doctissimorum humanitate desit praesidium.

---

[221]) cf. Plutarch. Vit. Hom. cp. 4. Welcker. Ep. Cycl. p. 207 sq. De Orchomeno cf. O. Mueller. Orchom. p. 390. Griech. Litt. Gesch. Vol. I. p. 139 sq. —



TYPIS ACADEMICIS.







